


2

MMVL.

Theol. 8^o 458.662.

149l





I
S
S

HOMINIS SPIRITVALIS

ANATOMIA ET

MEDITATIO

EX

SACRAE SCRIPTURAE
FONTIBVS ET PIORVM

tam recentium, quam veterum
obseruatione deducta.

ET

Methodice practiceque delineata

AB

OTHONE CASMANNO

AD

Christiana Sanctimonia inflammandum studio.



PROSTAT
IN NOBILIS FRANCOVRTI

Collegio Paltheniano.

1605.



21111111
21111111
A. M. T. O. W. A. E. A.
M. E. D. I. C. I. N. A.
S. A. C. R. A. E. S. S. E. R. I. P. T. A. M.
S. O. N. T. I. T. I. T. I. O. N. E. M.
I. N. O. S. C. R. I. P. T. I. O. N. E. M.
S. O. N. T. I. T. I. O. N. E. M.

Christianus Zandner
1772
O. H. O. Y. E. 27. 7. 1772
K. B. 1772



REVERENDISSI-
MO ET ILLUSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DO-
MINO IOANNI ADOLPHO
Postulato Episcopo Lubecensi, Regni Nor-
vegiæ heredi, nec non Schlesvici Holsatiæ,
Stormariæ, & Ditmarsiæ Duci, Comiti
item in Oldenburg & Delmen-
horst, &c. Domino suo
clementissimo,

*Gratiam & pacem a Deo pa-
tre per Iesum Christum.*

Acepimus ex Alia-
no, illustrissime &
Celsissime Princeps
IOANNES ADOLPHE,
Domine Clementissime, lege
cautum fuisse apud Persas, ne
quis Regem aut Principem
peregre aduentantem, aut in
regno ob ambulantem ullo

EPISTOLA

modo indonatum aut inho-
noratum prateriret. Notum
illud est exemplo Artaxerxis,
qui Mnemon cognominatus
est; Cui Sineta quidam rusti-
cus in agro sibi obviam facto,
cum is alterius offerendi mu-
neris facultatem non haberet,
aquam e Cyro amne haustam
manibus obtulit, quam Rex
non modo libenter & huma-
niter acceptavit, verum et-
iam Stola Persica, & Phia-
la aurea & mille Daricis re-
galiter compensavit. Tuam
et, O Princeps, Illustrissimã
Celsit. adire fert Sineta tui
animus: sine munere mihi ad
prin-

principem non patet aditus.
 Munerum autem, non una
 ratio est: Illam quo donem,
 diu multumque subdubitaui.
 Gemmas, aurum, vasa pre-
 tiosa non opus est donare, nec
 opis est nostra. Submonuit me
 S. Augustinus, qui eiusmodi
 munera danda esse censet,
 quæ nec ei, qui dat, nec alteri,
 qui accipit, noceant, quæque
 utriusque simul & dignitati
 & officio respondeant. Ignosce
 Clementiæ Tuæ serenam ad-
 eunti submisse Celsitudinem.
 Scio te principem humanum
 esse hominem; en Hominem fe-
 ro. Scio Te principem (bri

EPISTOLA

stianum Orthodoxa veritatis
& pietatis studiosissimum. En
spiritualem hominem Christi-
anae Sanctimoniae praecipua
spirantem documenta offero.
Scio te principem insigniter esse
litteratum, en literarium submisso
animo offero munusculum.
Scio te principem, vitam non
modo agere naturalem & po-
liticam, sed insuper, Dei spiri-
tus ductu in fide Iesu Christi
spiritualem, adeoque Te ho-
mine constare non solum na-
turali, verum etiam spiritua-
li, qui caelestia sperat, spirat, a-
gitat: En itaque internus spi-
ritualis homo, ad internum
spiritualem principis Christi-

DEDICATORIA.

ani hominem mittitur. Scio
denique Luctam peccatoris,
Tentationumq; scholas, quas
pro modulo meo cōscripsi, Tue
Celsi, genio, ingenio, iudicio
non omnino sordere. Cur ergo
committerem, ut te tantum
principem pratermitterem in-
donatum? Cum neutiquam
diffidam futurum, ut pari co-
mitate & benevolentia, hoc
quicquid est muneris, quod
submisse fero & offero, sis ac-
cepturus, quo Magnus ille
Artaxerxes Sineta sui levi-
dense donum accepit, non tam
ex munere animum, quam ex
animo munus estimando. In
munere enim non queritur so-
lum quantum, ut loquitur

*Ambrosius, sed de quanto,
 & quanto animo detur. Pli-
 nio etiam teste, Diis supplicari
 lacte rusticis, & qui thura
 non habent, mola saltem lita-
 re salsa fas est.*

*Quare o princeps, Joa-
 nes Adolphe, Celsissime, patere
 pro clementia tua, hoc quale-
 cunque scriptum, quod apicu-
 la instar ex variis piorum, &
 doctorum hortis delibavi, sub
 augusti tui nominis umbra,
 tanquam saluo (ut loquuntur)
 conductu palam tutoque in
 publicum prodire, & ut lite-
 rarium hoc munusculum ru-
 dius fortasse uspiam adorna-*

tiam,


DEDICATORIA.

tum, sed tamen ad Christianæ
sanctitatis inflammandum
studium bono animo compa-
ratum, quod iam deuoto ani-
mo offero, animo suscipias he-
roico, id est, æquo ac benigno,
ac genio ingenioque tuo in
multam etatem tuearis, ea,
qua parest, submissione oro.
Dominus Iesus Christus Illu-
strimæ Tuæ Celsi. vitam lon-
gam & sanctam, gloriam ve-
ram & firmam, fortunam
florentem & prosperam, &
finem cum omnibus beatis be-
atissimū concedat. Stada dabā
Cal. sept. An. Christ. 1604.

Reuerend. & Illustrissimæ Tuæ Celsitud.

Seruus addictissimus

Otho Casmannus.



CHRISTIANO ET BENE.

VOLO LECTORI. S.

Dixerit quidem Epicurus *λαδὲ βιώσας*: dixerit Naso:

*Vive sine invidia, mollesque inglorius annos
Exige.*

*Sed vas per te, mihi sit, Lector Chri-
stiane, cum M. Aurelio Valerio Maxi-
miano, (modestius tamen) dicere:*

*Qui vivit sibi solus homo, nequit esse beatus,
Malo mori, nam sic vivere nolo mihi.*

*Hominem dixit Aristoteles animal
πολιτικόν, ipse quippe sedulam dare debet
operam, ut adiuvet & tueatur quantum
in se est, societatem humanam, & in eam
conferat aliquid suo labore & studio, quo
illa melius habeat. Quod profecto qui non
facit, sed sibi vivit solum, ac in otio ac vo-
luptate vitam brutorum instar silentio
transigit, non magis ornat stationem su-*

am,

PRÆFATIO.

am, quam fuci aluearia, & apum societa-
tem. Hoc viuere est, inquit Menander,
soli sibi non viuere. Et

Quantum etenim distant a morte silentia
vita?

Viuere itaque & loqui dum mihi est a-
nimus bono publico pro meorum donorum
mensura, fama mea prodigus a filiis noctis
incolumem conseruare me vix potero. Ni-
hil enim hoc seculo tam probe ac prouide
dicitur, quod non vellicare malignitas
possit. Tangunt me nescio qui scioli, quasi
manum scriptis iniecerim alienis. Verum
audiant hi illud Lipsii: vt e fonte, quod
haurimus nostrum, quisque tamen
suo vase: sic quoque e communibus
illis scriptoribus, sed quisque pro
iudicii sui modo. Legere aut colligere
parum est, seligere, prudenter disponere,
& in sui propositi succum conuvertere, pos-
cit laudem. Selegi, & t quadantenus dispo-
sui hanc Spiritualis hominis Anato-
mon & meditationē, in eorum vsum,
qui se nosse & pietatis doctrine vsum ac
fructus addere laborant. Noui nihil genui,
merces meas non extrudo: selectio & dif-

positio (vsquam tamen truncata) seu forma mea est, Materia fere aliorum, scriptura scilicet sacra & piorum doctorum. Quantum vero eius meum est, id nulla re alia Doctorum genti commendo, quam ut Imperator ille filios suos: Si pro merebunt. Incertis sto, cadoque iudiciis. Ut ut autem res cadat, talento meo inferiore non desistam, & quod hic, ubi uiuo, lingua non prestare possum, id calamo annitar. Prodesse omnibus, nocere nemini mihi est propositum. Atque hoc scias in posterum, stulum me in alium stricturum aut prolaturum nunquam: commemini me Christianum, pacis scilicet sacerdotem. Eristica mihi genioque meo non apta, didactica vero magis placent. Dabo id opera, ut cum moriar feram mecum hanc conscientiam, nullus me fama inuidisse, quosdam vero petulanter mihi. Oro te, ne offendant te vsquam allegoria, quas mihi S. patres suppeditarunt, propositum meum ita poposcit: Origenicus utique non sum. Fidem, quam multi faciunt Oralem, actuosam esse & vite sanctimoniam nubere vo-

PRÆFATIO.

lo. Quod si vero uspiam desideras uiquid,
id oro ne mihi tribuas vitio, aut si tribu
is, ne in me debaccheris. Primis inuentori-
bus ignosce, & nihil simul inuentum, ac
perfectum esse memineris. Ego pro te tu-
aque salute, vicissim tu pro me meaque
Deum orabis. Vale Lector, & iuuantem
aut certe volentem ama.

Tui Studiosiss.

Otho Casinannus.

IDIOTÆ NON IDIO-
TÆ REGVLÆ.

1. Si aspera tibi videtur virtutis via, cogita in omni genere vite multos esse labores, & longe plures in turpi vita.
2. In rebus mundi diutius laboratur, quam in vita Christiana; & ibi, finis laborum est labor, hic vero quies.
3. Stultum est velle peruenire ad cœlum, sine labore: cum etiam Christus per labores & dolores in gloriam suam intrauerit.
4. Pugna spiritualis ea est, ut etiam sine spe præmi ferenda sit.
5. Nemo ex se vincere potis est, ideo Dei petendum est auxilium.
6. Vbi una tentatio victa est, expectanda est alia, ita ut semper vigilare oporteat.
7. Non solum satis est non vinci, sed danda opera in super, ut vincas, id est, ut ex tentatione occasionem sumas vincendi, aliquid utilitatis ex ea capiendo.
8. Cum pugnatur, cogitandum est de victoria, & cum in pace vivitur de bello.
9. Occasiones peccati fugienda sunt: quia qui amat periculum, peribit in eo.
10. Tentatio iugulanda est a principio, & parvuli Babilonis allidendi, id est, suggestiones prave sunt frangende.

11. Si pugna videtur a principio amara, cogita dulcedinem victoriae & dolorem, quo si te vinci fines, excruciaberis.
12. Licet tenteris & Deus non statim accurrat: non tamen putes te ab eo esse derelictum.
13. Cum aliqua peccandi oboritur cogitatio, haec fac tibi occurrant: 1. voluptas brevis. 2. Comites, fastidium & poenitentia. 3. factura maioris boni. 4. Vita somnus & umbra. 5. Mors instans & improuisa. 6. Suspicio impoenitentiae. 7. Aeternum premium, & aeterna poena. 8. Hominis dignitas. 9. Pax bonae conscientiae. 10. Dei beneficia. 11. Christi Iesu Crux. 12. Piorum martyrum testimonia & dolores.

A N A

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely German, covering the upper half of the page. The text is mirrored across the page, suggesting bleed-through from the reverse side.]

[A small, faint handwritten mark or signature, possibly a date or initials, located in the lower middle section of the page.]

CLARISSIMO

VIRO DN. ZACHARIÆ

PALTHENIO, I. V. D. Bo-

narum literarum Pro-

motori, suo amico,

S. D.

OTHO CASMANNVS

Eccles. Stad.

DRO meo & tuo, mi
Paltheni, Rem-
publicam literari-
am promouendi more & stu-
dio, et transmitto tibi Homi-
nem Nouum siue spirituale,
quem per subcesuas horas vi-
gilis meis Ecclesiasticis suffu-
ratus sum. Multa, ut mihi
videor, cōtinet, quibus homo
seipsum cognoscere, pristinaeq₃

)(2

qua floruit ante pultis poma-
 ceæ esum, integritati restitui:
 atq; adeo Evangelica & Apo-
 stolica doctrina vitam confor-
 mem, agere possit. Quo tandē
 hac vita pie & sancte peracta
 DEO placere, & cælo cum o-
 mnib. sanctis suscipi, immar-
 cescibilisq; coronæ particeps fi-
 eri possit. Tu pro tua, qua pol-
 les in iudicādo dexteritate, vi-
 debis, utrum ere tua sit, eū fu-
 liginis atramento tingere, ali-
 isq; legendū communicare. E-
 quidem, quod lubens fateor, in
 mei solius usum cōscribere ta-
 lia soleo: sed cū videam & in-
 telligā multos quot-nundinis
 te de novis a me affectis siue cō-

EPISTOLA.

fectis libellis curiose sollicitare:
 praesertim eos, quibus diuina
 meditationes curae sunt, non
 possum, quin omnia mea, tibi
 quotidie mihi calcar addenti,
 communicem: ut, si digna
 videantur praealo, etiam alii qua-
 licumque meo talento fruantur.
 Quod si ita: quamprimum tuo
 praealo committam Macrocos-
 mum meum, siue Mundum Im-
 mundum. Jam n. sum in eo e-
 maculando totus. Tu videris,
 ut singula prodeant correcte &
 emaculate. Ita n. seruias ho-
 nori meo: & tuae non parum
 profueris rei familiari. Hisce
 Vale. Dabam Cal. Septemb.

1604.

Hexametri

AD REVEREN-
dum, Clariss. & præstantissi-
mum virum, Dn. OTTONEM CAS-
MANNUM, Stadensem apud
fortes Saxonas Ecclesiasten,
dignissimum.



Vomodo cum Satana, cum mundo, &
pellice carne
Luētur peccator Homo, CASMAN-
NE, virorum

Stella disertorum, doctis emittere chartis
Nuper tentasti perquam felicibus orsis.
Grata tuo pietas, Ecclesiagrata labori.
Illius lumen, columenq₃ istius, utrinq₃,
CAROLVS illustri ZEROTINVS editus
ortu

Agnouit lataq₃ manu, largaq₃ rependit
Transmissum exēplar, calcaria subdere magnis
Sic decet ingeniis, nunc confidentior audes,
SPIRITVALIS HOMO qualem se præ-
beat orbi,

Mirror, quo tradas affectu, & simplice cultu
Admoneas, verum sententia delitet intus.

*Vna mihi vox sepe diem pensa auferat omnem.
Certe plus resipis, quam spondes fronte, recessu:
Id quod STADENA prior admirabar in vrbe,
Vrbe, cui præsunt doctissima pectora: cuius
Inter tot stellas si te signa uero Phœbum,
Ferre Senatorum cordata modestia quibit.*

Matthæus Zuberus, P.L. e Bel-
gio redux, F. Francofurti ad
Mœnum.



ELENCHVS CAPITVM
Anatomiaë hominis spi-
ritualis.


- I. De hominis spiritualis definitione. 1.
- II. De generatione, & parentibus ho-
minis spiritualis principalibus. 9.
- III. De spiritualis hominis administris,
& humanis parentibus. 27.
- IV. De semine & lauacro hominis spiri-
tualis. 36.
- V. De prima & gratiosa hominis spiri-
tualis conceptione in mente Dei, eum
diligentis & eligentis. 44.
- VI. De conceptione seminis salutiferi in
corde hominis per gratiam efficacis
vocationis. 49.
- VII. De hominis spiritualis formatione
per gratiam iustificationis. 58.
- VIII. De formatione hominis spiritualis
per gratiam sanctificationis. 64.
- IX. De finibus spiritualibus Regenera-

E L E N C H V S

- tionis.* 69
- X. De hominis spiritualis iam formati & nati eulogiis ac titulis. 75.
- XI. De mentis seu intellectus sanctitate, & primo spirituali sapientia. 83.
- XII. De prudentia spirituali altera mentis sanctitate. 92.
- XIII. De conscientia sanctificata hominis spiritualis. 102.
- XIV. De sanctificata hominis spiritualis voluntate. 108.
- XV. De sanctitate facultatis loquendi. 114.
- XVI. De risu spiritualis sanctitate. 122.
- XVII. De hominis spiritualis sensibus exterioribus sanctificatis in genere. 128.
- XVIII. De sanctitate visus. 134.
- XIX. De sanctificato hominis spiritualis auditu. 139.
- XX. De renouato gustu hominis spiritualis. 144.
- XXI. De odoratu & tactu hominis spiritualis. 150.
- XXII. De sensuum interiorum sanctitate.

CAPITVM

- te. 156.
- XXIII. De vigilia & somno hominis sanctificati. 162.
- XXIV. De spiritualis hominis respiratione & pulsu. 174.
- XXV. De Appetitionum & Inclinationū seu concupiscentia sanctitate. 179
- XXVI. De Animi Renati affectibus sanctificandis & perturbationibus domandis, ac purgandis in genere.
- XXVII. De sanctitate affectuum cordis in specie sigillatim. 195.
- XXIIX. De Locomotiva & progressionē sã etã in viis spiritualis hominis .203.
- XXIX. De sanctitate facultatis generatricis. 210.
- XXX. De sanctitate potētia nutriticis. 215.
- XXXI. De corpore spiritualis hominis. 221.
- XXXII. De corporis, spiritu Dei animati elementis & qualitatibus. 228.
- XXXIII. De capite hominis spiritualis. 236.
- XXXIV. De collo & ceruice. 242.
- XXXV. De pectore & ventre. 248.
- XXXVI. De humeris, dorso, & lateribus. 253.



ANATOMIA
ET MEDITATIO HOMI-
NIS SPIRITVALIS
Methodica.

*De Hominis Spiritualis
definitione.*

CAPVT I.

HOMO SPIRITVALIS,
(cuius descriptionem,
Spiritu Dei nobis ad-
spirante, ad Dei glori-
am, Ecclesiæ & vitæ Christianorum
ædificationem, & pietatis in cari-
tate incrementum, tanquam vitæ
spiritualis prodromū molimur) est
homo, qui a spiritu Dei in Christo
regenitus, carni repugnans, & per
fidem filii Dei agens vitam Dei, gra-
tia Dei, indies magis magisque in-
stauratur ad vitam æternam.

*Homo
Spiritua-
lis*

robatio.

Ioh. 3. Nisi quis ex aqua & spiritu regeneratus fuerit, non poterit introire in regnū Dei. Rō. 8. Vos estis in spiritu, siquidē Spiritus Dei habitat in vobis: quod si quis spiritum Christi non habet, is non est eius. Item: Qui spiritu actiones corporis mortificant, viuunt. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Licet vero, Gal. 4. caro concupiscat aduersus spiritum, & Spiritus aduersus carnem: tamen, 2. Cor. 4. non deficimus: Ac, Etsi is qui foris est noster homo corrumpitur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Et, Eph. 3. Deus dat nobis secundum diuitias glorie sue, ut virtute corroboremur per Spiritum eius in interiore homine. Vt dicamus cum Apostolo Gal. 2. Ego per legem legi mortuus sum, ut Deo viuerem, una cum Christo crucifixus sum. Vuo autem non amplius ego, sed viuit in me Christus, & vitam quam nunc viuo, in carne, viuo per fidem filii Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Hinc adeo est, quod 1. Pet. 3. qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate sit quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.

.I.
Cur dicatur
spiritualis.

Spiritualis homo dicitur, quia a spiritu Dei renatus ad imaginem Dei reformatur: a spiritu Dei, ceu Dei filius agitur: quæ spiritus sunt

sapit,

sapit, & opera spiritus præstat. Huic opponitur *Carnalis & animalis*, de quo 1. Cor. 2. qui non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: siquidem illi stultitia est, & non potest ea intelligere, quia spiritualiter diiudicantur. Iud. vetl. 19. *Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales spiritum non habentes.* Sic Eph. 4. *Olim gentes, quæ versabantur in vanitate mentis suæ, cogitationem habebant obscuratam, & abalienatam a vita Dei, propter ignorantiam, quæ fuit in ipsis, ex obduratione cordis earum.*

Ei oppo-
nitur car-
nalis.
(1. Cor. 2. 14)

17. 18.

Dicitur etiam **NOVVS HOMO**, qui ab Apostolo ita definitur Eph. 4. *Induite novum hominem, qui secundum Deum conditus est, in iustitia & sanctitate.* & cap. 2. *Ex duobus conditum unum novum hominem, in semet ipso faciens pacem.* 2. Cor 5. vocat **NOVAM CREATURAM**: *Si quis est in Christo, is nova creatura est.* Gal. 6. *In Christo Iesu, neq; circumcisio, neq; præputium quidquam valet, sed nova creatura.* **NOVVS** dicitur, ratione **VETERIS** hominis,

2. cur no-
vus.
Eph. 4. 24.

Eph. 2. 15.

2. Cor. 5. 17.

Nova
creatura
Gal. 6. 15.

Ei oppo-
nitur ve-
teris.

qui homo nō renatus, & extra Christum est, quatenus in peccato conceptus & natus, sequitur naturæ suæ prauum ingenium, qui in renouatione antiquandus, corrumpendus & abolendus est, quemq; pii in se indices mortificare & abolere debent: Nouus vero debet recreari & instaurari, ac in nouitate sua indies crescere ac proficere.

3 Cur interior.
273.

Exterior.

R. 722.

Appellari etiam solet H O M O I N T E R I O R Eph. 3. Corroboremini in interiore homine. I. Cor. 4. Propterea non deficimus: sed etiamsi exterior noster homo corrumpitur: tamen Interior renouatur quotidie Rom. 7. Condelector lege Dei secundum interiorem hominem, h. e. quatenus sum in Christo regenitus. alioquin caro semper suum sequitur genium. Ei exterior opponi solet.

Exhortatio ad hominem.

Vsus 1
Nosce te-
ipsum ho-
mo.



Homo, ne simus securi in hoc mundo, videamus, qui, qualesq; simus, NOSCE TE IPSVM. Si Christianus, erubescere ad vocem hanc Pla-

tonis:

gnitiam. Ingredere itaq³ te ipsum, & quidnam sis, penitus peruide, ut aliquando te ipsum, sis ne carnalis, an spiritualis cognoscas. Si te ipsum animo tractaveris, dies noctesq² rimatus fueris, senties primum te divinae mentis esse participem, neq³ te in huius vitae angustiis collocatū senties. Studio emulandi diuinitatem incenderis, carne domita, insatiabili quodam gaudio suffunderis, a corporis obsequio mortuus mundo, carnis desideria refrenabis, peccati labem evitabis, veram religionem ac cultum Dei affectaberis, & cum in te aliquid diuini habere animadverteris, semper aliquid dignum Deo senties & facies.

Quare, o homo, proba te ipsum, & Dei invocato numine, depone (ut Paulus monet) veterem hominem corruptum secundum concupiscentias deceptionis. Discite mecum quotidie veterem hominem crucifigere, ut enervetur corpus peccati, ne posthac seruiamus peccato. Si animalis es, ea quae sunt spiritus Dei non capis: si terrenus, terrena sapis: si mundanus, de mundo es, qui Christum eiusq³ membra odit: Si externus es, ea, quae sensibus carnis placent, & externa bona sectaris. Depone veterem peccandi malitiam. Saltem iam deponere discipe, quare preceptorem, a quo discas, hunc attente intueri, cole, ei crede, teq³ ei subice, rem aggredere alacriter, & spiritu Dei adiutus, in hoc maximo studio te non sine fructu exercebis: ut tandem fias unus ex illis, qui

dicere

dicere possunt cum Apostolo: *Viuo autem iam non ego, sed vivit in me Christus. Tandemq; in te nihil erit, quod non sit Deus, aut Dei, atq; in te Deus amabit, volet, operabitur. Hic vero Christum sequens, te ipsum abnegare disces, & homini veteri ad flagitiose viuendum te inuitanti respondebis: Nescio te, o homo, quam diu tuus fui, suggestionibus libens etiam acquieui: nunc vero, me Christus sanguinis sui pretio sibi acquisiuit, ipseq; in me formari coepit, ideo meus non sum, nec meam iam possum facere, sed eius, ad quem pertineo, voluntatem.*

ORATIO AD DEVM.

S*ine sole, o soli iustitia, Deus sancte, solem non contueor: sine te, non video te: sine spiritus tui lumine, non me, meaq; recte inspicio. Aperigitur oculos mentis mea, ut videam me & te, cognoscam me miserum peccatorem, te vero mihi benignum patrem, omnis boni fontem. Nouerim me, nouerim te. Me firimor & scrutor, offendo offensas. Inuenio legem tuam esse spiritualem, me vero esse carnale, venditum sub peccatum. Non miser ego, quod volo, hoc facio: sed quod odi, hoc ago. Consentio quidem legi, quod bona sit, volo eadem parere: at peccatum, quod in me habitat, eam transgreditur. Si me penitus introspicio, video in me, hoc est, in carne mea, nil habitare boni. Ah velle mihi, per tuam adest gratiam, sed, ut quod*

Vsus 2.
Da Deus
notitiãq;
mei, noti
tiãq; Dei.

Ego miseri
in me.

bonum est, efficiam, non assequor. Ah miser ego comperio volenti mihi facere bonum, hanc legem impositam esse, quod mihi malum adiacet. Delector quidem lege Dei, quoad interiorem hominem: at aliam video legem in membris repugnantem legi mentis meae, & captivum reddentem me legi peccati, quae est in membris meis. Miser ego homo, quis me eripiet e corpore mortis huius? Tu solus Deus sanctus es in te, sis sanctus etiam in me, induas tu me novo homine, exuas tu me vetere homine. Spiritus tuus bonus mutet me, ducat me, perficiat me. O Deus, misere misere laborantis & onerati, effice ut deponam secundum pristinam conversationem veterem hominem, ut corrumpatur in errorum desideriis. Vetus meus homo crucifigatur, ut destruat illud mihi vehementer molestum peccati corpus, ut non amplius peccato, sed iustitiae serviam. Crea in me cor mundum, crea in me novum, secundum te, hominem, in iustitia & sanctitate veritatis. Da mihi secundum divitias gloriae tuae, virtute tua corroborari per spiritum tuum in interiori homine, ut sanctificatus te glorificem. O pater, qui me ad imaginem tuam creasti, recrea me miserum ad imaginem tuam, & gloriam sempuernam, Amen.

✠
✠
✠

DE

Sanctifi
cor a te.

Da sancti
moniam,
remouen-
do mali-
tiam,

creando
puritatē.

DE GENERATIONE ET PARENTIBVS
HOMINIS SPIRITVALIS
principalibus.

CAPVT II.

HOMINIS Spirituales tum
est GENERATIO, tum
CONSERVATIO. Pri-
mum enim homo nouus diuinitus
generatur, & deinde etiam genera-
tus & in lucem cœlestem editus, di-
uina gratia conseruatur ad glori-
am & vitam æternam.

GENERATIO SPIRITV-
ALIS hominis est veteris hominis
diuina virtute & gratia facta muta-
tio & conuersio in hominem no-
uum. Vel: Est renovatio, qua Dei
gratia & virtute homo ex filio i æ
renascitur filius Dei, deponendo
veterem hominem, & induendo

*Hominis
spirituales
generatio.*

*Seu homi-
nis ab ho-
mine ve-
tere in no-
uum muta-
tio.*

*Seu est
Natura
corrupta
in homine*

*in melius
mutatio,
& ad i-
maginem
DEI in
restauratio.*

nouum, qui Deo deinceps sponte seruiat.

Adeoq; est quædam hominis corrupti restauratio, quæ in iplo de die in diem Imago Dei peccato fœdata, reparatur.

*Causa spi-
ritualis
generati-
onis.*

Generationis, seu potius regene- rationis, tum causæ sunt, quarum vi ipsa peragitur: tum effectus, nempe spirituali generatione homo spi- ritualis in lucem editus & produ- ctus.

Ad causas huius procreationis pertinēt, primo, Parentes & Semen.

Parentes.

PARENTES Hominis Spiritua- lis dicuntur, qui ipsum procreant seu progenerant: adeoq; sunt causæ efficientes procreantes hominis in- terioris, & quidem Principales vel administræ.

Principalis Parens, qui vi princi- pali regenerat, & administrantium opera ordinarie uti solet.

Estque ipse Regenerator & san- ctificator Deus.

Hic

Hic tum ut Pater, tum ut Mater, consideratur.

DEVS PATER est, a quo in cœlis & in terris omnis nominatur paternitas, quique pater hominis appellari potest ratione prædestinationis, creationis, gubernationis, redemptionis & resuscitationis futuræ: hic, inquam, primus & supremus est hominis spiritualis pater & genitor, quippe qui, tum hominem ad formam hominis spiritualis (*ipsam ut ita loquar spiritualitatem*) disponit, tum etiam ipsam formam procreat & inducit.

Et quidem Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

PATER est principium spiritualis huius generationis & renovationis: Incipit enim eã a se per Filium & Spiritum S. hominem ad suam imaginem instaurando.

Ies. 66. Iehova dicit: *An ego aperirem os matricis, & non gignerem?* (q. d.) Ego, qui aliis sum gignendi auctor, an nõ ipse gigne-

DEUS

I.
Pater.Probatnr.
If. 6. 9

rem nunc & in seculum arbitrato meo ?)
An ego, qui gigno, amplius occluderem? (i.e. deinceps non propagarem ecclesiam committendo ei semen incorruptum verbi mei)
 Dicit Deus tuus. Ezech. 11. *Indam ipsis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, amouens, inquam, cor lapideum, a carne eorum, indam eis cor carneum, ut in statutis meis ambulent, & iura mea obseruantes, faciant illa, sintq; mihi populus, & ego illis sim Deus.* Iohan. 1. *Quotquot autem eum exceperunt, illis dedit hoc ius & hanc potestatem, ut filii Dei fierent. (seu sint facti) nempe iis, qui credunt in nomen eius: Qui non ex sanguine, neq; ex libidine carnis, sed ex Deo geniti sunt. (Hinc Ioannes in Epistola: Qui natus est ex Deo, inquit, non peccat, quia semen eius manet in eo.)* Eph. 2. *Deus, qui diues est misericordia, propter multam caritatem suam, qua dilexit nos, etiam nos, cum per lapsus mortui essemus, una viuificauit cum Christo: cuius gratia estis seruati: unaq; suscitauit, unaq; collocauit in caelis in Christo Iesu. Ipsius sumus creatura, seu opus conditi in Christo Iesu ad bona opera, quae preparauit Deus, ut in eis ambularemus.* 1. Pet. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri I. Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* Iacob. 1. *Pater ille luminum, quia voluit, progenuit nos*

Ezech. 11
 v. 19.

Iohan. 12
 probatū.

Iohan. 3
 v. 7.

Eph. 2
 v. 4-5
 5. 7.

1. Pet. 1
 v. 3.

Iacob. 1
 v. 18.

sermone

sermone veritatis, ut essemus primitia quedam,
suarum creaturarum.

Exhortatio ad Hominem.

Appello te hominē veterem, appello te novum
& regenitum. Vide, o vetus & terrene
homo, miserabilem miseriam tuam. Reco-
gnosce tecum, te penitus corruptum, in peccatis
mortuum, & a Deo auersum esse, ut a natura
non sis idoneus ad bonam Deoq; gratam concipi-
endam cogitationem: cor prauum est, mens ma-
lis intenta, voluntas perversa. A Deo itaq; totus
es recreandus, regenerandus, renouandus. Hic te
in melius mutans tua vota & desideria sua præ-
uenit gratia, tibi plus, quam dormienti occurrit,
commutans te ex filio Satanae & herede gehenna,
facit te filium Dei & coheredem Christi. Deus,
ut cum Augustino loquar, nolentem te præuenit,
& volentem subsequitur, ne frustra velis. Ah,
mi homo, tibi gratia Dei est insipida, nisi Spiri-
tus sanctus eius tibi saporem adferat. Deum itaq;
ora, ut veterem te faciat novum regenerando, &
mortuum, in vitam reuocet cœlestem viuifi-
cando.

Cognosce vero, o noue & spiritalis homo,
dignitatem tuam, nobilitatem & celsitatem, De-
oq; gratias habe, age, refer. Optimi & Maximi
parentis es filius, & ex Deo originem ducis tuam.

Vfus.
Ad vete-
rem ho-
minem.

Ad nouū
hominē.

1. Ioan. 3.

Admirare tanti parentis munificentiam, laudā benignitatem, exosculare caritatem. Exclamatum cum Apostolo Ioanne: Videte quantam caritatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur, & simus: Charissimi, nunc filii Dei sumus. Frigidum te dixerim, si non hic letitia exsiliis, quod audias te ad tantum dignitatis apicem euectum esse: ut ex Deo patre tuo, filius Dei sis, & nomineris. Perfundere summo gaudio, Deum iam agnoscis, & habes Patrem. Iam cum Apostolo Paulo, in spiritu clamare potes: Abba, mi pater. Audita patris voce, omni seruili timore deposito, talem ac tantum parentem constanter ama, in tanti genitoris irrue complexus, & caue, ne tam magnificum titulum, a tanto patre degenerando, amittas, semperq; memineris te in Christo Iesu conditum esse ad bona opera, que preparauit Deus, ut in iis ambulares, parentemq; tuum in caelis glorificares.

II.
Filius
Dei Pa-
ter reg.
1. Cor. 1.

II. Deinde CHRISTVS IESVS, Immanuel noster, qui a DEO patre nobis factus est sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio, hominis spiritualis Patens dici potest.

Hic generationem hanc spiritualem administrat a patre per Spiritum sanctum.

1. Cor.

1. Cor. 8. *Vnus Dominus noster Iesus
Christus, per quē omnia, & nos per ipsum.
Hic etiam parens noster.* Siquidem in
ipso condimur. Parens quippe dici-
tur, qui ad generationem proxime
disponit, & formam, ac ipsam rem,
seu prolem producit. Iam vero, &
ipsa dispositio, & forma noui homi-
nis, a Christi Iesu merito, efficacia,
& intercessione, homini tribuun-
tur spiritali, (*Meruit enim nobis sua
obedientia & satisfactione, & dispositio-
nem omnem, & omnem spiritalis esse
gratiam.*) Proinde iure optimo est
interioris hominis parens. Ex ple-
nitudine enim gratiæ ipsius acce-
pimus omnes gratiam pro gratia,
ipsius inquam, qui vnctus est longe
præ consortibus suis. Atq; nobis da-
tur gratia, secundum donationē Ie-
su Christi. Imo spiritalis homo ita
viuit, vt viuat in eo Christus, & vitā,
quam viuit in carne, in fide viuit
Filii Dei, qui dilexit eum, & tradi-
dit semetipsum pro eo.

1. Cor. 8. 6.

2. Cor. 8. 9.

Ioan. 1. 6.

Psal. 44. 5. 8.

Eph. 4. 7.

Gal. 2. 20.

Ioan. 1. 4 In Christo λογος est vita, & vita illa est
 lux hominum, & lux illa in tenebris
 Ioan. 14. 6 lucet. Imo ipse est via & vita, est re-
 surrectio & vita. Sine ipso palmites
 ferre fructum non possunt, & facere
 non possunt quicquam. In Christo
 complemur, qui est caput omnis
 principatus. In illo denique cresce-
 re nos oportet per omnia, qui est
 caput, *Christus*. Huc accedit, quod
 homo spiritualis imaginem simili-
 tudinemque noui Adami, *id est*, Chri-
 sti, sicut vetus imaginem veteris
 Adæ, gerat. Christus igitur hac ra-
 tione spiritualis hominis parens di-
 ci potest, quia eius imaginem, in ea-
 dem natura expressam habet. Filius
 est aliquid patris, & pater in filio vi-
 uit. *Viuo autem*, inquit Paulus, *iam non ego,*
sed uiuit in me Christus. Quid? quod
 forma in nobis dicatur Christus.
 Vt etiam mors Christi est causa
 mortis spiritualis, qua morimur
 peccato: ita resurrectio eius est caus-
 la spiritualis resurrectionis ad vitam

Ioan. 1.

Ioan. 14.

II. 15.

106.

104.

Col. 2.

Eph. 4.

1 Cor. 15. 49

Gal. 4.

1 Cor. 15.

107.

Rom. 6. 4. 5.

cœlestem. Nos quotquot baptisati sumus, inquit Apostolus, in Christum Iesum, in mortem eius sumus baptisati: sepulti igitur sumus cum eo per baptismū in mortem: ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Nam si cum eo plantati coaluimus conformatione mortis, nimirum etiam conformatione resurrectionis coalescemus. Adde, quod per veterem Adamum nascimur filii iræ, cur per novum Adamum Christum non nasceremur filii gratiæ? Si ergo vita & gratia per Christum habentur, iure optimo, ipse Christus, ut parens, nouæ nostræ & spiritualis generationis concurrat.

Exhortatio ad Hominem.

O Homo regenite, quanto cum labore & dolore, ab hoc parente Christo Iesu genitus fueris, agnosce. Ille enim, qui te solo verbo creauit, non solo verbo regenerauit, sed multa, ut te recrearet ac regeneraret, est perpeffus, dura & indigna tulit, dura, inquam verba, duriora verbera, durissima supplicia: mortem deniq; subiit

Vsus ad
hominem
regentū.

atrocem, ut tuam moriendo vitam repararet. Agnosce igitur & cole tam amabilem parentem: Esto subditus illi, qui ut te regeneraret, licet esset rex gloria, parentibus subiectus esse voluit. Imaginem & similitudinem eius in te conserva & tuere, ut vita & gratia eius, in te eius palmitis & filio permaneat, Vide, quæso, quantum debeas aeterno illi λόγῳ, tuo vinificatori, qui te fecit: quantum eidem pro te homine facto, quod te sic refecit: ut cum senseris te totum ei debere, quia te fecit, cognoscas te nihil habere, quod ei reddas, quia te refecit. Et ne omnino ingratus esse videare, cum Propheta dicito: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ ipse tribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Sequere igitur, o homo interior, hunc tuum, tam amabilem carumque parentem, audi vocem tui pastoris, abnega te ipsum, tolle crucem tuam, & lege eius pius vestigia. In serui fide bona huic tuo parenti, qui, ut te regeneraret, cum esset in forma Dei, formam serui assumpsit: huius serui fieri, summi decoris est, & quasi quadam supereminens mundo nobilitas. Cane accurate, ne unquam tanti parentis tui te pudeat: ne nega hunc coram hominibus, abnega potius te, teque Christianum confidenter confitere. Corde enim creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem. Et hoc Patre in cælis æternum gaudebis.

Ps. 113.

III. De

III. Denique SPIRITVS SANCTVS, qui dicitur *Spiritus sancti-
ficationis & gratia*, quem Deus in
fœderis formula se promisit, ef-
fufurum super nos, & positurum in
medio nostri, vt in præceptis eius
ambulemus, hic, *inquam*, ipse a
Deo Patre, per & propter Iesum
Christum nobis missus, & in cor no-
strū effatus, vt operosus opifex nos
regenerat & renouat, adeoq; nouā
mentem radiis suis collustrādo, no-
uam voluntatem flectendo & du-
cendo, nouum cor purgando, nouas
vires, nouosq; motus sanctificando
creat, adeoq; nouum & spiritualem
hominem procreat.

Hic Spiritus regenerationem in
nobis absoluit & perficit agendo a
Patre & Filio.

Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua
& spiritu, non potest ingredi in regnum Dei.
Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Item:
Spiritus ubi vult spirat, & vocem eius audis, sed
nescis unde veniat, aut quo vadat. Sic est omnis
qui natus est ex spiritu. Ex spiritu itaq; rena-
scimur sancto. Spiritus est, qui viuificat.*

III.
Spiritus
Sanctus
pater.
Rom. 1.

Probatur.

Joh: 6 65.

Mat. 3. 10 5.

Gal. 3. 10 27

Col. 2. 12.

Rom. 8. 11.

1 Cor. 6. 14

2 Cor. 5. 1

1 Pet. 3. 21

Eph. 4. 23

Col. 3. 9.

10.

10.

10.

Ioannis 6. Tit. 3. Secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti. Spiritus itaq; sanctificans nos renouat. Spiritus Dei habitans in nobis, qui, quod sapit, vita & pax est, qui est vita propter iustitiam, qui suscitauit Iesum a mortuis, & is, qui excitauit Christum ex mortuis, uiuificabit mortalia corpora nostra. Rom. 8. Renouemur spiritu mentis nostra. Eph. 4. Nouus etiam homo renouatur in agnitionem congruentem imagini eius, qui ipsum condidit. Col. 3. Hinc debemus seruire Deo in nouitate spiritus. Rom. 7. Et spiritu ambulare. Eph. 5.

Exhortatio ad Hominem.

Vfus.

2. Cor. 1.

Phil. 1.

2. Cor. 9.

Eph. 2.

O Homo, humiliare sub potenti manu Dei tui: quippe, qui non es sufficiens cogitare aliquid boni a te, quasi ex te: Omnis sufficientia tua ex Deo est, qui per spiritum suum bonum operatur in te. Hic operatur in te & velle, & perficere, pro bona sua voluntate. Ipse potens est facere, ut abundes in omni bono opere. Si regenitus es, Plasma Dei tui es, creatus in Christo Iesu, ad bona opera, quae preparauit Deus, ut in iis ambules: ut ita tandem sis repletus fructu iustitiae, per Iesum Christum in gloriam & laudem Dei. Vis vero scire, an Deus in te, & tu in Deo maneat, sisq; ex Deo natus, explora te, an de spiritu suo

de-

dederit tibi. Et quia fructus spiritus est caritas, vide an caritas in corde tuo sedem sibi fixerit. Caritas enim est ex Deo. Et profecto si ex spiritu Dei es genitus, spiritu viuus, hoc est, a morte peccati resuscitatus & viuificatus es: Si spiritu vixeris, spiritu etiam ambulaveris. Noli spiritum sanctum in te contristare, noli eidem unquam resistere, noli eundem in te, modo salus tua tibi cordi est, extinguere. Cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supporta proximum in caritate, & in omni bono opere vide proferas fructus Deo placentes. Ora quotidie, ut opus hoc, quod operatus est in te per suum spiritum, confirmet, nec spiritum suum sanctum unquam auferat a te, ut potius secundum diuitias gloriae suae concedat tibi de die in diem per eundem spiritum te corroborari in interiori homine: adeoque semper bibas ex viuifica illa aqua, quam propinat filius Dei, adeoque fiat in te fons aquae salientis in vitam aeternam.

Gal 5.

1. Ioan. 4.

Eph. 4.

Col. 1.

Psal 67.

Psal. 51.

Eph 5.

Ioan. 4.

ORATIO AD DEVM REGENERANTEM, verbis tantum

S. Scripturae concepta.

A Eterne Deus, omnipotens creator, redemptor, viuificator & regenerator, sanctifica me impurum, ut sim nova creatura: qui creasti me, corruptum me recrea & renova, ut in nouitate spiritus coram te ambulem. Fœderis tui memor, inde legem tuam in cor meum, inde mihi

cor nouum, spiritum nouum pone in medio cordis mei, aufer cor lapideum a carne mea, & concede cor carneum, quo te diligam, te timeam, te colam. Benedicte Deus, diues es misericordia, propter multam caritatem tuam, qua dilexisti nos, unacum Christo Iesu capite meo uiuifica & resuscita, ut reconditus ad tuam imaginem in Christo Iesu, in sanctitate & iustitia tibi possim inservire omnibus diebus vite mee.

O pater, fac me tibi nouam creaturam, qua placeat & valeat in Christo Iesu, cui fide adhaerescam: concede indies singularem gratiam per spiritum tuum, quem effundes super semen tuum, & benedictionem super stirpem tuam, ut quotidie magis ac magis possim deponere secundum pristinam conuersationem veterem hominem, ut ipse in me corrumpatur in errorum omnium desideriis, & induere nouum, qui in me renouetur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius, qui creauit illum. Vbi ipsum in me opus sanctum es exorsus, confirma opus Deus, quod operatus es in me, ut peccatum non amplius faciam, sed ut semen tuum in me tenaciter haerens maneat, & veritatem secter in caritate, crescamaq; in Christo capite meo per omnia. O Deus pater, pone tabernaculum tuum in medio cordis mei, & ambula in eo, sisq; Deus meus. O fili Dei, qui es in patre, & unum cum patre, sis in me, & ego sim in te, ut seruem tua mandata, & fructum feram multum. O Sanctificator spiritus sis, age, & mane in me,

requi

*requiesce effusus super me, viuificatum me fove
& conserua in vitam eternam, Amen.*

Ita Deus quidem PATER filiorum
Dei, & hominum spiritualium est dictus.

MATREM eundem Deum, quē Pa-
trem dixi, ob diuersas tamen ratio-
nes, dum Matris munera obit, appel-
lare licet. Matris vero munera sunt
fere ista, *concupere, sanguine prius in ute-
ro, postea vero lacte nutrire, portare, de-
fendere, a sordibus mundare, exosculari,
diligere, in oculis ferre.*

Deus benedictus in visceribus sui
amoris & gratia tanquam in utero
quodam hominem spiritualem, fili-
um suum electum & dilectum con-
cepit, & postea suo tempore prog-
nit.

Concepit autem eum in utero
gratiæ, dilectionis, & misericordiæ
sux, hæc *Diuina mater*, per gratiam
gratiosæ suæ prædestinationis, seu
electionis, de qua postea. Ex utero
vero in lucem progignit per grati-
am efficacis vocationis, iustificatio-
nis & sanctificationis suæ.

DEVS

Mat-
ter rege-
neratio-
nis nostra

Explica-
tur.

Probatur

In huius matris utero portamur,
ut ipse Deus ait *Ies. 46. 3. 4.*

*Auscultate mihi domus Iacobi, & totum
residuum domus Israhel, qui iab utero meo por-
tami, qui gestami inde a vulua. Et usq; ad
senium ego idem, & usq; ad caniciem ego porta-
turus sum: Ego feci, & ego gestabo. Ego, inquã,
portaturus sum, & erepturus. Hęc est mater
illa, quę filiorum suorum obliuisci nequit,
Ies. 49. 15. An obliuisci, inquit Iehoua, potest
mulier fetus sui, ut non misereatur filii uteri
sui: etiam hæc obliuisci possit: tamen ego non obli-
uiscar tui. En in manibus sculpsite. Hęc mater
de se ipso dicit *Deut. 1.* quod ipse Iehoua, Deus
populum Israhel portarit, quemadmodum quis
portat filium suum. Hęc est mater illa, cuius
lex nunquam est posthabenda, *Prouerb. 1.*
Hęc est mater illa, quę filios enutrit & exal-
tat, *Ies. 1.**

*Deut. 10. 31.
Ier. 8. 15.
Ier. 26. 18.
28.*

Concipit, gestat, excludit nos ut e-
ro gratiæ, amoris, & misericordis
philanthropiæ suæ.

Gratia
uterus.

GRATIA illa est spontanea Dei
beneuolentia, qua nos nihil tale mœ-
rentes complectitur in Christo, re-
mittit peccatum, donat Spiritum
sanctum, & regenerat ad vitam æ.

ter

ternam. Gratia hac seruamur, Ephes. 2. p. 5. *Acton: 15 10 11*

Gratia Dei preuenit, comitatur, subsequitur nos. Vno dicam verbo: Gratia Dei sumus, quicquid sumus. I. Cor. 15. *10*

Cum item benignitas & philantropia apparuit seruatoris nostri DEI, non ex operibus iustitia, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam, saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quae effudit in nos abunde per Iesum Christum, ut iustificati gratia ipsius. Tit. 1. abnegemus impietatem, & mundi huius cupiditates, sobrie, iuste & pie viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum glorie magni Dei, Christi Iesu. Tit. 2. *10 11.*

Mater hæc nostra, materno nos affectu complectitur, Ies. 66. *12* dicit:

Quomodo si cui mater abblandiatur, ita ego consolabor vos, caritate perpetua dilexit nos, idemq; miserans miseriam nostram, nos ad se attraxit, Ierem. 31.

Exhortatio ad hominem.

EN, mirare Dei, qui est ipsa caritas, amorem paternum & maternum. Pater est tuus, honora & reuerere patrem, fili. Mater tua est, quae ita te dilexit, ut proprio filio non peperce-

B 5

Tit: 30 10 50.

Ier: 30 10 3.

10 15.

I.
Vfus.

cerit, sed eum pro te redimendo, tradiderit. Redamato, in oculis & amoribus matrem hanc fer-
to, calito, & in amplexus eius suavissimos filiali
amore & reuerentia irruito. Vide quanta cari-
tate te complexus sit Pater tuus & mater tua, di-
uina maiestatis ineffabilis ardor, ut filius Dei no-
mineris & sis. Vtero misericordia sue suauiter te
conceptum fouet & gestat: oculis misericordie
sue te respicit. An non te etiam Filius Dei
Dominus noster Iesus Christus in utero men-
tis sue, ac dum in hac vita fuit, non sine summis
laboribus gestauit, ac tandem summis doloribus
in lecto crucis peperit, ut exclamarit: circumde-
derunt me dolores mortis, dolores inferni cir-
cumdederunt me, praecipauerunt me laquei
mortis? Hec mater lacte doctrina nos educavit,
carne cibavit, sanguine potavit, & veluti gallina
congregavit, fouit, congregat & adhuc, fouet sub
alvis suis filios suos. Aperi itaq; sinum cordis tui,
& vicissim utero eius semen diuinum excipe, ut
formetur in te Christus.

ORATIO AD DEVM.

Ista 2.

Rom. 5.
p. 5.

Pater & mater mea dereliquerunt me, Tu
vero Domine assumpsisti me, mihi factus es
uterq; parens, o quantum tibi debeo! Utinam
totum me tuae glorie gratiosa possim omnibus im-
pendere viribus. Diffunde caritatem tuam

in

in corde meo per Spiritum sanctum, ut animam meam castificem in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici corde diligam proximum meum. Pater meus es, ego filius tuus. Tu quidem habitas in excelsis, & in sancto, at non despicias filii tui contritum & humiliatum spiritum. Mater mea es, amoris utero me concepisti, antequam te nossem, fac ut te vicissim cordis mei thalamo concipiam, simq; templum Dei vivi, & membra mea templa sint maneatque Spiritus sancti, adeoq; te Deum sanctificatorem meum glorificem & portem in corpore meo, propter meritum & intercessionem Domini & seruatoris mei Iesu Christi, Amen.

1. Pet. 1. 22

Is. 66. 1

2. Cor. 6.

1. Cor. 6.



DE

SPIRITVALIS
HOMINIS ADMINISTRIS
& humanis Parentibus.

CAPVT III.



Ic tuere Parentes hominis spiritualis principales, & interiores,

Transitio

Admini-
stri & hu-
mani ge-
nitores.

Spiri-
tualis
Doctores &
admini-
ster.

2. Cor. 5

Probatum

Deus pater per filium in spiritu san-
cto. eum renouans & sanctificans:
Pater eius *administer*, & *exterior* leu
humanus est, qui sui usum & ministe-
rium, Deo proprie regeneranti &
sanctificanti exhibet, quiq; Dei iussu
vel singulari cura subministrat caus-
sas & instrumēta, per quæ Deus effi-
cax est ad hominis conuersionem &
regenerationem.

I. Huc pertinent *Doctores*, *Ministri*
Dei, & *dispensatores* *Mysteriorum* *Dei*,
qui pro Christo legatione ad nos
funguntur, Deo tanquam exhor-
tante per illos, quibusque Deus de-
dit *Mysterium* *reconciliationis*.

Gal. 4. Paulus suos alloquitur, quos
docuerat: *Filioli mei, quos iterum parturio, do-
nec formetur Christus in uobis.*

1. Cor. 4. *Non ut uos pudore suffundant, hæc
scribo, sed ut filios meos dilectos admoneo. Nā etsi
decem millia pedagogorum habeatis in Christo,
at non multos patres habetis, in Christo enim
Iesu per euangelium ego uos genui. Hi namque
ministri (ut quidam ex veteribus scribit) vir-
tute spiritus a Deo, ad quem, cum quem-
piam concipere uolunt, sese conuertunt, ac-*

cepta

cepta, mente sua, quæ ad aliquem generandum sunt necessaria, cogitant: & ita illum paulatim, cum id vehementer desiderant, concipiunt: quem postea docendo & instituendo progignunt. Hinc Apostolus 2. ad Cor. 3. Vos, inquit, epistola estis (Christi ministrata a nobis (id est, per nostrum ministerium, quo prædicauimus vobis sincerum Christi Euangelion, parata,) & scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui. Et hinc agit gratias 2. Thes. 1. Deo, quod Euangelium ipsius non fuerit ad Corinthios in sermone tantum, sed etiam in virtute & in Spiritu S. Rō. 5. Gratia mihi data est a Deo ad hoc, ut sim minister I. Christi apud gentes, operans Euangelio Dei, ut oblatio gentium fiat accepta, sanctificata per Spiritum sanctum. 1. Cor. 3. Lactis potu vos alui & non esca & c. Quis Paulus, quis Apollos, nisi ministri, per quos credidistis, & quidem ut cuiq; Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigauit, sed Deus dedit incrementum, & c. Dei sumus, Dei aruum, Dei edificium estis. Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut peritus Architectus fundamentum posui, & c. Sic Ioannes Baptista dicitur, conuertere corda & cognitionem Dei largiri. Sic quoq; Cornelius ex concione Petri cū tota familia cōuersus dicitur, Act. 10.

Doctores ergo, qui verbo vitæ, tanquam quodam viuifico semine

Cyrl. lib.
1. n. Lxxi.

Spiritus sancti calore foto, ad hanc generationem coeunt, Patres spirituales nuncupare solemus. Hinc Ioannes etiam quos vitali verbo regenuerat, *filios* vocitabat: *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis.*

Exhortatio ad Hominem.

Vsus 1.

Mat. 2.

Eph. 6.

Math. 4.

1. Cor. 3.

Act. 9.

Mat. 20.

2. Cor. 11.

Agnosce, observa & cole hos tuos, qui te genuere, parentes: quos Deus honorat, quiq; tibi profunt, hos, o homo, ne asperneris. Deus ipse vocat angelos suorum exercituum. Ora ad Deum pro ipsis, ut detur eis sermo in aperitione oris, cum fiducia notum facere mysterium euangelii, cuius gratia funguntur legatione. Sunt tui piscatores, quos constituit Christus: dulce tibi sit ab his capi, captus ab his in libertatem vendicaberis coeleste. (Operarii sunt viuientis Dei & vasa eius sancta: patiare ut hi in te agendo ex te forment filium Dei. Christi ne temne paranyphos, rex coelestis fecit nuptias filio suo, mittit ad te seruos suos te ad sacras vocatum nuptias, audi, sequere, & pascere pane vitæ æternæ: ipsi te despondebunt viro uni, ut Christo exhibeant te virginem castam. Gaude hoc sponso, gaudeq; his paranyphis. Cole, qui te plantarunt: ama, qui te rigarunt: adora eum qui dedit incrementum. Cane, ne unquam patres tibi tui spirituales vertantur

in canticum, vel fiant in opprobrium, aut in faciem eorum conspuas, sagittasue iacias. Honorifice illos tanquam Dei ministros, & dispensatores mysteriorum Christi excipias. Ipsi pro te vigilant, quasi rationem reddituri pro anima tua: ipsi pastores tui, pascunt te doctrina & scientia: ipsi patres tui, qui te per euangelium gignunt, qui te parturiunt, donec formetur in te Christus. Horum parentum Dei verbum & oracula docentium precepta observa, liga ea circa cor tuum, circumda gutturi, cum eis loquaris, cum eis dormias, cum eis ambules: Et eris filius altissimi.

II. Antiquis nonnullis scriptoribus video Ecclesiam esse Matrem Christianorum appellatam. Quo spiritu inquit Leo ierm. 9. *de intemerata matris visceribus nascitur Christus, hoc de sancta ecclesia utero renascitur Christianus.* Hæc instar matris dicitur fideles suos filios concipere, gestare & parere, quos postea suis nutricibus & alūnis nutriendos & instituendos tradat. Ecclesia Tertulliano lib. *de anima*, nuncupatur *Mater viventium*, quæ fuit formata ex latere, noui Adæ dormientis in cruce:

1. Cor. 4.

Heb. 13.

Ecclesia
Mater.

quod nemo nisi in hac matre, extra quam non est salus, renasci possit. *Hanc, inquit alius, matrem, qui non habet, non potest Deum habere patrem.* Videtur igitur hic ecclesia intelligi catholica, quia ut salutem obtineamus, huius membra nos esse & cum Christo iungi necesse est. Nec enim hic sentus potest esse, illos, qui sunt extra hanc particularem ecclesiam, vel illam, non posse saluos esse. Etenim pii inter Turcas viuamus, sumus tamen membra Christi & Ecclesie catholice, si veram habeamus fidem. Ecclesia siquidem hæc est sanctus ille hominum cœtus ubiuis degentium, de colluue totius generis humani, voce Euangelii a Deo euocatus in spirituale Christi regnum, segregatus & distinctus ab aliis cœtibus hominum, auditu verbi Dei, fide, Sacramentis, inuocatione, vitæ sanctimonia & professione, qui fundatus est super Christum lapidem fundamentalem, ut in eo

Deus

Deus habitet, & iuxta doctrinam propheticam & apostolicam in sempiternum colatur.

Exhortatio ad Hominem.

Quisquis esse & haberi vis Dei uiuentis filius, secundariam fac agnoscas & reuerearis matrem tuam, sanctam & catholicam ecclesiam, vide in eius utero sis conceptus, in eius gremio hereas ac delitescas, tanquam foetus & filius illius. Assentire uere & sanae doctrinae: uide sis templum Dei, ut hic per Spiritum sanctum, quo ducaris, in te habitet: sessitet in corde tuo uina fides, spes non confundens, & caritas sincera. Diligit enim Dominus portas Sionis, in his ambules. Deus est in generatione iusta, hanc portat, ut solet quis gestare infantem suum. In sinu si fueris Ecclesiae, in Dei eris hereditate, eiusq; sancto populo, in quo sanctus sanctorum exultat & mirifice gaudet, quemq; sibi desponsauit in sempiternum in iustitia & misericordia. Versator in magna Dei domo, quam Christus filius Dei dilexit, & seipsum pro ea tradidit, quam item Deus sibi suo sanguine acquisiuit. Sancta haec est ciuitas ueritatis, mons est Domini exercituum, mons sanctificatus. Hic fulget pulcritudo iustitiae. Huius caput, huius sponsus, huius pastor, huius rex est Christus Iesus. Hanc tu quoq; si ma-

Vsus.

C

trem amplexatus fueris, habebis Christum caput tuum, erisq; membrum eius: habebis Christum sponsum, tu ipsius dilecta sponsa: habebis ouicula Christum Pastorem bonum: habebis ciuis in regno caelorum Christum regem: quem, si tibi habueris, quid est, quod amplius desiderare possis?

ORATIO AD DEVM.

Vsus 2.

Q*uam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: beati, qui habitant in domo tua Domine in secula seculorum laudabunt te. O Domine saluum me fac, o Domine prosperare in me, confirma, quod operatus es in me. Effice ut spiritu tuo sancto collustratus, ductus ac flexus, quos tu mihi das Opt. Max. pater, humanos patres, qui parturiunt me, qui quotidie gignunt me, qui in verbo ac doctrina laborant, duplici afficiam honore, abundantiori eos complectar amore propter sanctum opus eorum, excipiam eos, & colam reuerenter, non secus atq; angelos & legatos tuos, ipsis vocantibus me, veniam, & domum tuam ingrediar, in conspectu tuo adsim audiens, quae per illos tuos mihi precipis ministros, verbum tuum non modo audiam, verum etiam in corde conseruem, ut fructus eius feram multos. In hanc me impellas, o Deus mentem, ut pro facultatibus meis Patres illos meos spirituales liberaliter, sicubi opus fuerit, aliam, statuens, non iniqum esse, sed summam coram Deo equita-*

tem

tatem postulare, ut, qui coelestia tua & aeterna bona fideliter per suum ministerium nobiscum communicant, ipsis vicissim temporalia beneficia & ad sustentationem necessaria, non denegem. Spiritualia illi mihi seminant, metant itaq; carnalia mea. Deinde Opt. Max. Pater, fac ut agnoscam & amem matrem Ecclesiam, quae sua mihi ubera lac tuae dulcedinis mihi praebentia porrigit, ut sim maneamq; ciuis in ciuitate tua sancta, membrum in corpore filii tui capitis mei Iesu Christi, ouicula Christi vocem audiens, & sequens ipsum ad ouile eius, agnus congregatus in brachio pastoris, & in sinu eius portatus, domesticus in domo tua, in qua filius tuus est, coedificatus in tabernaculum tuum. Qui enim de domo tua sunt, hi benedictione tua latantur. Elegisti Domine Sion, elegisti tibi eam habitationem: Hae requies mea in seculum seculi, inquis, hic habitabo. O Domine, cum in monte Sion, & in Ierusalem sit saluatio, fac ut in ea seruiam tibi in letitia, & introeam in conspectu tuo cum exultatione: & misericordia tua subsequatur me omnibus diebus vitae meae, Amen.





DE

SEMINE ET LA- VACRO HOMINIS Spiritualis.

CAPVT IV.

*Semen
Spiritua
lis regene
rationis.*



Actenus vidimus paren-
tes hominis Spirituales
internos & externos:
Iam SEMEN eiusdem
ex quo regeneratur videbimus, cui
LAVACRVM adiungemus regene-
rationis eius.

*I.
Quid.*

SEMEN spiritualis hominis ex
quo gignitur, est eius quoddam
principium, in quo vis & fœcunditas
quædam a generante promanans,
residet.

Estque verbum Dei viui & per-
manentis in æternum, seu sermo ve-
ritatis a Spiritu sancto fœcundatus,
& fidei mixtus. Hinc Spiritus san-

ctus

Etus SEMEN DEI vocatur, quod
in renatis, manet. 1. Ioan. 3.

1. Pet. 1. *Qui animas vestras purificastis, au-
scultando veritati per Spiritum, ad caritatem
fraternam simulationis expertem, ex puro corde,
alii alios diligite intente, Regeniti non ex semine
intereunte, sed non intereunte, seu incorruptibili,
id est, per sermonem Dei viui, & manentis in
eternum.*

Probatur

Iacob. 1. *Omnis donatio bona, & omne do-
num perfectum est superne a patre luminum,
apud quem non est transmutatio, aut conuersa-
tionis obumbratio: Is, qua voluit, progenit nos
sermone veritatis, ut essemus primitia quadam
suarum creaturarum.* Iohan. 15. *Iam vos puri
estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.*
Iohan. 17. *Non tantum pro istis rogo, sed & pro
iis, qui per sermonem illorum sunt credituri in
me. &c. Sanctifica eos pater, tua veritate: Sermo
tuus veritas est.* Verbum hoc Dei Psal. 19. *Con-
uertit animas.* dicitur Ioan. 6. *Verbum vita
eterna.* & Act. 13. *Sermo salutis.* Psal. 119. *Elo-
quium tuum viuificat me.* At vero Paulus
quidem plantat, Apollo rigat, &c. Sed neque
qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat est ali-
quid, sed Deus est, qui incrementum dat,
1. Cor. 3. Sic itaq; homo spiritualis progigni-
tur e semine verbi Dei viuentis, quod ab

anima susceptum, ac spiritus diuini calore fotum, vim habet ad eam disponendum, vt tandem novus inde homo generetur. Hinc ipse Christus in parabola verbum Dei prædicatum appellat *semen*. Cui si accedit diuinæ virtutis fœcūditas, viuiuifica motio, afflatus quasi quidā Spiritus, efficacitate eius veteris hominis affectiones frāguntur, & noui hominis qualitates paulatim introducuntur, ut tādē veteris hominis forma, peccato, corrupta, noui hominis forma spiritualis nouitas, iustitia & sanctitas introducatur. Quo fit etiā vt spiritualis homo, non ex *sanguinibus*, sed ex *spititu* natus dicatur, *Joan. 1.* Etenim ex intimis visceribus diuini huius seminis fœcūditas promitur, & cordi nostro, dū super eo virtute sua spiritus sanctus cubat, infūdatur. Cognitione hoc semē excipitur, cōsensu retinetur, quo cor fœcundatum & apte dispositum immutatur, & ita paulatim homo generatur spiritualis.

Exhortatio ad hominem.

V. 1.

Agnosce iterum, o homo regenite, tuæ generationis excellentiam, quæ nō ex impuro sanguine, non ex fœtido & corruptibili, sed ex diuini verbi incorruptibili semine est, per fotum & viuificū calorem sanctificantis spiritus. Huius tanta virtus est, vt non modo aures tangat, sed etiā cor feriat. Ama itaq; Dei viuētis verbū, & vi-

ustificabit te, ama & complectere sermonem veritatis, & semen tuæ regenerationis amabis. Ingredere portas domini, ito & deprecare faciem Domini, audi vocem eius, ut doceat te vias suas, audita verba mente concipe, concepta fove & conserva, ut fructum ferant multiplicem: ut sis ita nõ modo auditor, sed etiam factor verbi Dei. Beatus n. ille, qui sermonẽ veritatis audit & servat.

ORATIO AD DEVM.

PROVOLUOR ante faciem maiestatis tuæ supplex, O Deus generator, qui formasti hominis naturã ex gleba terrestri, & illi limo inspirasti spiraculũ vitæ, & implexisti hanc fragilem massam flatu tui spiritus, qui incubaret, tuæ creaturæ: Ah rapuit inimicus tuus verbum ex cordibus primorum hominum, & in natura eorum secuta est tristissima sterilitas. At tu, o pater, nõ cessas spargere semen tuum, oro te, ut tuo calore, tua dulcificatione corrigas ariditatem tuæ glebæ, & scindas cor meum aratro & ferro tuæ legis. O Domine sana mea vulnera pinguedine & oleo tui spiritus, ut fiat salutaris stercoratio & emendatio mei frigidi sabuli. Iuua me, ut tuum semen in me hæreat, foris tuum sermonem veritatis serio amplectar, & intus in anima tuã efficaciam experiar, ut erumpens ex meatibus terræ, eluctatus ex tentationibus proferam herbam, aristas, spicas, & esculenta grana, confirmer in vera agnitione & inuocatione tui, ut lux mea corã hominib. luceat, & p me tu pater æterne, qui es in cœlis glorificeris.

Vf 460 2.

Ne subtrahere mihi unquam semen meae regenerationis, lumen verbi tui, & calorem sancti Spiritus, ne destitutus tua praesentia confessionem veritatis, metu periculorum abiiciam, sed te constanter colam & celebrem, Amen.

II.
Lauacrū
regenera-
tionis, ba-
ptismus.

Probatur

Hæc de Semine hominis Spiritu-
tialis: LAVACRVM regeneratio-
nis sequitur, nempe BAPTISMVS,
qui recte SEMINI subiungitur. Si-
quidem Ephes. 5. dicitur *Lauacrum*
aquæ in verbo vitæ, quod fit secundū
Christi institutionem, in nomine
Patris, Filii & Spiritus sancti, *Matt.*
28. Atque adeo est lauacrum rege-
nerationis & renouationis Spiritus
sancti, *Tit. 3.* Est insuper stipulatio
bonæ conscientiae erga Deum per
resurrectionem Iesu Christi a mor-
tuis, qui est in dextera Dei, degluti-
ens mortem, vt vitæ æternæ here-
des efficiamur, *1. Pet. 3.* Quemad-
modum igitur Spiritus Dei descen-
dit sicut columba, & venit super
Christum, qui in Iordane baptiza-
batur, & vox de cœlis dixit: *Hic est*

fi-

filius meus dilectus: Matt. 3. Ita cum Christus mandarit nos baptizari in nomen & numen Patris, Filii, & Spiritus sancti: Nos quoque paulatim regenerandos, saluos facit Deus Pater, per lauacrum sanctificantis huius regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effundit in nos abunde per Christum Iesum Saluatorem nostrum, *Tit. 3.*

Hic Spiritus inde a Propheta *Ezech. 36.* appellatur *aqua*, quod eos, quibus datur, ab omnibus anima sordibus lauet & abluat. Dicitur *Luc. 3. Ignis*, quod vicia conscientiae, tanquam flamma consumens exurat, & corda fidelium, Dei amore inflammet, & studio pietatis incendat. Nominatur *1. Ioan. 2. Vinctio*, quod gratiae Dei viuifico liquore hominum animos perfundat, & in vitae vigorem restituat. *Fontis* insuper Eulogio insignitur *Ioan. 4.* quod ex Spiritus sancti gratia & operatione, tanquam ex viuo & inexhausto fonte

de Spiritu Sancto

Rom. 8

omnes cœlestes opes, in omnes credentes defluant. Virq̄ etiam nomine ornatur, quia non tantum in piis uiuit & uiget, sed etiam illos suo uigore uiuificat, donec mortalem carnẽ extinguat, illosq; tandem renouet, & uia arcana irrigatione eos ad germina iustitię proferenda fœcundet, atq; ita vitam æternã in illis incoet.

v. s. 1

Exhortatio ad Hominem.

O Sanctam regenerationem, quæ lauacro tam puro, candido & sancto efficitur, quæ corporis sordido sanguine non inficitur, carnis uoluntate non maculatur, uiri libidine non fœdatur, sed tota munda & sancta existit. Gaude hac, o homo, gaude hoc mystico lauacro. Ex Christi mortui latere lancea aperto exiuit sanguis & aqua: Christus ipse te mundat lauacro aque in uerbo uite. Christus in hoc lauat te a peccatis tuis sanguine suo, ut te sibi exhibeat gloriosum, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi sed ut sis sanctus & immaculatus: atque ut per ipsum, tanquam sacerdotem magnum accedas ad Deum Patrem cum uero corde, in plenitudine fidei, corde mundatus, a conscientia mala, & ablutus corpore aqua munda, teneas spei tuæ confessionem indeclinabilem. Gaude ita-

qui

que hoc lauacro, illudq; sapius sancta recole memoria, Deo tuo regeneratori age gratias, & fœdus conscientia bona, vide ne periurus violes.

ORATIO AD DEVM.

V. sicut 2.

Sanctissime sanctificator & renouator Deus pater, fili & spiritus sancte, in tuo sum baptizatus nomine, tibi sum consecratus per lauacrum aqua in verbo vite tue. Totum me tibi debeo. Suscepi regenerationis meae lauacrum mysticum, perge me renouare spiritus tui renouatione: In Christo Iesu sum baptizatus, fac ut eum quotidie magis ac magis induam. In Spiritu in unum corpus cum sanctis tuis sum baptizatus: da augmenta gratiae quotidiana, ut vere cum piis sim maneamq; unum in Christo. qui tecum unum est, & cum sim in Christo, nihil mihi sit damnationis, sed totus ablutus & sanctificatus sanguine ipsius, sim, sentiamq; me esse filium Dei per fidem, adeoq; heredem tuum. O Deus, laua me multum quotidie, mitte spiritum filii tui in cor meum, ut ipso ductus abnegem impietatem, & secularia desideria, sobrie, iuste & pie viuam in hoc seculo, expectans beatam spem, & aduentum gloriae Magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi,

Amen.





DE

PRIMA ET GRATIO-
TIOSA HOMINIS SPIRI-
tualis conceptione in mente
DEI cum diligentis & eli-
gentis.

CAPVT V.

SECUNDO ad causas
saluificæ huius pro-
creationis, & hominis
spiritualis refertur, tum
Conceptio, & Formatio, tum Finis.

CONCEPTIO est tum Hominis
Spiritualis prima & gratiosa in Deo,
tum Seminis salutiferi in homine.

Conceptio hominis spiritualis
prima & gratiosa in Deo est hominis
præcogniti, & ex proposito Dei vo-
candi, iustificandi & glorificandi
prædestinatio in mente Dei gratio-
sa ad conformitatem imaginis filii

Dei

Conceptio
hominis
spiritua-
lis in Deo.
Prædesti-
natio.

Dei (*Rom. 8.*) adeoq; hominis saluandi in Christo Iesu pro beneuolo affectu voluntatis Dei ante iactum mundi fundamentum, facta electio, vt sit adoptatus filius Dei per Iesum Christum, sitque sanctus & inculpatus coram Deo in caritate, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ. *Eph. 1.*

Sic itaque homo spiritualis, sanctificandus & glorificandus primū mente Dei patris ipsum pro beneuolo suæ voluntatis affectu, secundum gratuitam benevolentiam, quam proposuerat in sese, diligentis, eligentis (*& sic quasi concipientis*) & prædestinantis ad vitam gratiæ & gloriæ cœlestis *conceptus* est.

Ita enim scribit Apostolus *Rom. 8.* *Quos præsciuit, eosdem & prædestinauit, ut conformes fiant imagini filii sui: ut is sit primogenitus inter multos fratres. Quos vero prædestinauit, eos etiā vocauit, & quos vocauit, eos etiam iustificauit, quos autem iustificauit, eos etiam glorificauit. Eph. 8.* *Sicut elegit nos in ipso ante iactum mundi fundamentum, ut simus sancti & inculpati coram eo in caritate. Qui prædestinauit nos,*

Probatur.

Quomo-
do in Deo
concipia-
tur homo
spiritua-
lis.

quos adoptaret in filios per Iesum Christum in
se se pro beneuolo affectu voluntatis suae, ad lau-
dem gloriosae suae gratiae, qua nos gratis sibi acce-
ptos efficit in dilecto, in quo habemus redemptio-
nem per sanguinem ipsius, nempe, remissionem
lapsuum ex diuite ipsius gratia: qua redundauit
in nos omni sapientia & intelligentia: patefacto
nobis mysterio voluntatis suae, secundum gratui-
tam suam beneuolentiam, quam proposuerat in
se se. En igitur homo spiritualis in Deo con-
cipitur praenotione seu praescientia, propo-
sito, εὐδοκία, seu beneplacito, praedestinatio-
ne & electione Dei. 1. Cor. 2. Praedestinauit nos
ante secula in gloriam nostram. Et multiformem
sapientiam Dei secundum praefinitionem
seculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino
nostro. Eph. 3. Hac non posuit nos in iram, sed
in acquisitionem salutis per Iesum Christum.
1. Thes. 5. Et spem vitae aeternae promisit ante
tempora secularia, Tit. 1. Elegitq; nos primitias
in salutem 2. Thes. 2. secundum praescientiam
suam, in Christo praecognito ante mundi consti-
tutionem, 1. Pet. 1. Ut in eo instaurarentur om-
nia, quae in caelis, & quae in terra sunt. Ephes. 1.
Vnde & Christus in extremo die dicet suis
electis: Venite benedicti Patris mei, pos-
sидete paratum vobis regnum ante
constitutionem mundi.

Ex-

Exhortatio ad Hominem.

*E*cce iterum tuam dignitatem, homo, Dei vero gloriosam gratiam, & gratiosam in te benevolentiam: Mente Dei misericordis, antequam esses, es conceptus: in utero diuini beneplaciti, amoris, dilectionis & electionis ante secula latuisti formandus aliquando ad Dei & Christi vitam. Omni contende studio, ut hanc tui conceptionem & electionem tibi quotidie reddas certiore, certitudine fidei & experimenti. Primum itaq; firmiter crede, verbum Dei esse verbum Dei & ipsammet veritatem: in primis vero promissionem salutis fide tibi ipse applica & firmissime crede remissionem peccatorum per Christum partam, vitamq; aeternam particulariter etiam ad te pertinere. Da operam & ora, ut Spiritus Dei cordi tuo & conscientia testificetur te esse in Dei visceribus conceptum, dilectum & delectum Dei filium, ut per Spiritum adoptionis clamare possis, Abba. Ne unquam tristitia affice Spiritum illum sanctum, per quem debes esse obsignatus in diem redemptionis, ut sit maneatq; tibi arrhabo hereditatis tuae. Labora deinceps omni fide, ut non careat experimenti certitudine, quae ex tua renouatione seu sanctificatione & fructibus signisq; verae fidei fluit. Hinc ad fidem, a fide ad electionem argumentando tuam salutem progredere, ut sis certus, non suspensus.

*7^{us} x. ad
hominem*

ORATIO AD DOMINUM
IESUM.

Joh. 6. 45
Joh. 6. 36
Joh. 5.
Joh. 10.
Joh. 1. 10
1. Thes. 1. 10
Rom. 9. 11
11. 8
7
29.
Ador. 9
7. 19.

Domine Iesu servator, in te, me esse ante mū-
 di constitutionem dilectum, delectum, & be-
 nedictum Dei filium, fac operante spiritu senti-
 am. Tu dixisti: Omnis qui audit & didicit,
 venit ad me, & eum, qui venit ad me, non eiici-
 am foras. Venio patre tuo trahente me ad te. De-
 scendisti de caelo, ut faceres voluntatem eius, qui
 misit te. Ne me eiicias, sed desertum assumas.
 Hec a. est voluntas patris tui, ut nihil ex eo, quod
 dedit tibi pater perdas, sed ut omnis, qui te videt,
 & in te credit, habeat vitā aeternā. Dedit me ovi-
 culam pastor tibi pater, conserva me, me perdi-
 ne patiare. Fac sciam electionem meam, ne Evan-
 gelium tuum ad me sit in sermone tantum, sed &
 in virtute, & in spiritu sancto, & in plenitudine
 multa. Fac ut satagam mihi reddere vocatio-
 nem & electionem meam certam per bona opera
 fidem arguentia vitam. Fac in me, ut tentem
 me, an sim in fide, & agnoscam te Iesum Christum
 in me esse, neq; ex fide filium promissionis sectari
 vestigia fidei, quae fuit in Abrahamo. Mani-
 festasti mihi tibi a patre dato nom en tuum, ver-
 ba Dei audio, vocem tuam, ovis tua, agnosco,
 & credo tua gratia: at credo infirma admodum
 fide, adauge eam, corrobora me virtute spiritus
 tui, ut me esse civem sanctorum, domesticum

Dei

Dei, nomenq; meum scriptum in libro vite, & in cælis, vere gaudere possim, Amen.



DE

CONCEPTIO-
NE SEMINIS SALVTIFE-
ri in corde hominis per grati-
am efficacis vocationis.

CAPVT VI

Sic fuit prima illa homi-
nis in Deo conceptio
per gratiam prædesti-
nationis ad vitam gra-
tiæ & gloriæ: succedit CONCEPTIO
SEMINIS SALVTIFERI in cor-
de fidelis hominis per gratiam effi-
cacis vocationis, qua semen Dei,
nempe, Verbum salutis & veritatis
cum gratia & efficacia Spiritus san-
cti corde hominis concipitur.

Hæc fit efficaci vocatione, qua
homo peccator separat. sa mundo

*Conceptio
vniuersi
seminis in
corde ho-
minis.*

*Fit per
vocationem.*

D

recipitur, ceu filius, in Dei familiam. Quos enim prædestinavit, hos etiam vocavit.

Efficax
vocatio
fit 1. separa-
tione.
Probatur.

Vocatio autem hæc efficax fit primum, separatione peccatoris e perdita massa generis humani.

Ioan. 15. *Si ex mundo fuissetis, mundus, quod suum est amaret: Quia vero ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.*

2.
Donatio-
ne.
Probatur.

SECUNDO fit donatione patris, qua hominem saluandum pater Christo, Christumque vicissim peccatori donat.

Probatur.

Ies. 9. *Puer nobis natus est, & filius nobis datus est.* Ioan. 17. *Sicut dedisti ei autoritatem in omnem carnem, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam eternam. Patefeci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi selectos e mundo: tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servauerunt.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, &c.*

3.
Infitione.
Probatur.

Tertio, fit infitio in Christum, & cum eodem coalitione, ut Christus speciali ratione fit caput, homo membrum.

Ioan. 17. *Non pro eis rogo tantum, sed & pro iis, qui per sermonem eorum credituri sunt in me: ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te,*

ut

ut & ipsi in nobis vnum sint. Eph. 5. Quoniam membra sumus corporis eius, ex carne eius, & ex ossibus eius. Eph. 2. Superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, cuius imus angularis lapis, est ipse Iesus Christus: in quo totum edificium congruenter coagmentatum crescit, ut sit templum sanctum Domino: in quo & vos una edificamini, ut sitis habitaculum Dei per Spiritum.

Hæc vero Seminis saluiuici conceptio in hominis corde perficitur, PRIMO, salutari auditione verbi, quod est iemen quoddam: Hac homini convertendo extrinsecus annuntiatur verbum Dei: & quidem lex primo ostendens peccatum, & peccati poenam damnationem, tum Euangelium ostendens salutem in Christo, cum conditione fidei: atque intus Spiritu sancto efficaciter operante, oculi illuminantur, aures & cor aperiuntur, ut homo audiat, & vere intelligat verbum Dei.

Perfici-
tur cōce-
ptio hac
I.
Auditio-
ne verbi.

Ies. 55. Heus, quisquis sitit, venite ad istas aquas. & cui nulla est pecunia, venite, comparate & comedite, venite, inquam, comparate absque

Probatum.

pecunia, & absq³ pretio vinum & lac. Ioan. 1. Quotquot eum receperunt, dedit eis hanc dignitatem, ut filii Dei fierent, nempe iis, qui credunt in nomen eius. Rom. 7. Peccatum non cognoviss^{em} nisi per legem. Ioan. 2. Sed unctio quam vos accepistis ab eo, manet in vobis, nec necesse habetis ut quisquam doceat vos: Verum sicut eadem unctio docet vos de omnibus, quæ & verax est, & non mendax, & sicut docuit vos, mansbitis in eo. Ioan. 6. Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Act. 16. Lydia Deum colens nos audiuit, cuius Dominus adaperuit cor, ut attenderet ea, quæ dicebantur a Paulo.

II.
Emolliti-
one cordis

Secundo emollitur cor hominis, penitusque conteritur, ut sit idoneum ad recipiendum semen salutiferæ gratiæ.

Probat^{ur}.

Ezech. 11. Indam ipsis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri, amovens cor lapideum a carne eorum, indam eis cor carneum.

Huic in
serviunt
quatuor.

Huic autem emollitioni inserviunt quatuor:

- I. Cognitio legis Dei.
- II. Cognitio peccati & pœnarum eius.

III.

III. Compunctio cordis, seu sensus iræ diuinæ ob peccata.

IV. Sancta de propriis viribus quod ad salutem attinet, desperatio.

Videris duo Exempla:

I. Luc. 15. *Omni- bus vero a filio prodigo consumptis orta est fames magna in regione illa, & ipse cepit victus destitui. Abiit igitur & adhaesit uni ex ciuibus regionis illius, qui misit eum, in agros suos, ut pasceret porcos. Et desiderabat ventrem suum implere siliquis, quas edebant porci, & nemo ei dabat. Cum autem ad se redisset, dixit: Quot mercenarii patris mei abundant panibus? Ego vero fame pereor. Surgens proficiscar ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in caelum & coram te, &c.*

II. Act. 2. *His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus autem ait ad eos: Resipiscite & baptisetur unusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti.*

TERTIO, creatur in corde Fides, miranda illa & supernaturalis facultas cordis, Christum a Spiritu sancto per verbum applicatum apprehendentis & in se recipientis.

III.
Creatio-
ne fidei.

Hac homo sibi speciatim applicat Christum eiusq; merita per internam cordis persuasionem, quæ non aliunde existit, quam ex efficaci certioratione (*liceat ita fari*) Spiritus sancti de misericordia Dei in Christo Iesu.

Ioan. 6. *Ego sum panis ille vita, qui venit ad me, nequaquam esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam.* 1 Cor. 2. *Nos vero non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui est ex Deo: ut sciamus, quæ Deus est nobis gratificatus.* Ezech. 12. *Effundam super domum David, & super habitatores Ierusalem, Spiritum gratia & precum.* Eph. 1. *In quo speratis & vos, audito sermone veritatis, id est, Evangelio salutis nostræ. In quo etiam, posteaquam credidistis obsecrati estis Spiritu promissionis sancti.*

Fidei creationi in-
serviunt
quinque
I.
Notitia
illuminans.

Ut autem fides in corde accendatur, primum necesse est adesse notitiam Evangelii per illuminationem Spiritus sancti. Cui annexa est in humiliatis attenta consideratio promissionum Evangelii, ex intimo sensu inopiæ suæ. Hanc in illuminatis sequitur fides illa generalis,

quæ

quæ assensum præbet Euangelio. Hæc si plenior est appellatur *πληροφοεία τῆς συνέσεως*, de quo Coloss. 2. *Vt consolationem accipiant corda eorum, ipsi caritate compactis, & omnipotentia certo persuasæ intelligentiæ, ad cognitionem mysterii DEI, & patris, & Christi.*

Hinc oritur spes veniæ, quo homo etiam nondum sentit remissum peccatum, remissibile tamen esse statuit.

Spem veniæ insequitur esuries, & vehemens expetitiõ gratiæ, quæ est oblata in Christo Iesu.

Esuriem excipit Accessus ad thronum gratiæ, vt apprehenso ibidem Christo, inueniamus misericordiam apud DEVM. In quo accessu, præmittitur humillima peccatorum confessio. Subsequitur deprecatio pro remissione peccatorum cum gemitibus inexplicabilibus, & cum perseuerantia.

2.

Spes veniæ.

3. Esuries gratiæ.

4.

Accessus ad thronum gratiæ.

5.
Specialis
fiducia.

Tandem imprimatur cordi a Spiritu sancto specialis persuasio & fiducia, qua promissiones Evangelicas credens sibi applicat.

Hic igitur primum assensio præbetur verbo Dei, resistiturque dubitationi & diffidentia: postea demum sequitur experientia & sensus lætitiæ.

Exhortatio ad Hominem.

Vsus I.

Vide, o homo, Dei fidelitatem, benignitatem & philanthropiam. Non modo te ab æterno prædestinat ad vitam sanctam & beatam, verum etiam ad eandem studiose & suaviter te inuitat: o si hodie vocem eius audieris, noli obturare aures tuas, sed sequere eum, qui te vocatione sancta, non secundum opera tua, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ datur tibi in Christo Jesu, vocat: sequere vocantem, aperi aures & cor, ut semen veritatis & salutis concipias, a mundo segregatus doneris Christo, ut vicissim tibi detur Christus, tuque ipsi inseraris & cum eo arte coalescas. O quam ingens est hoc Dei beneficium. Audi itaque, attente Dei verbum, ut semen illud in animo tuo radices agat. Spiritui opifici da locum, ut con-

tera

teratur, emolliatuq³ tuum cor, quod fiat ager bonus: ut semen fidei in eo consitum conseruetur, foueatur, germinet, excrescat, & ferat fructus. Quod ipsum nactus sis senseris, prædica te beatum, gaude, & da gloriam Deo. Beati enim sunt, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati, edunt & bibunt de mensa Domini in cœlis.

Oratio ad Deum.

Prescisciuste Deus pater, predestinasti me v. s. 2.
in Christo, vocasti item, & adhuc vocas me ad gratiam Christi, deducis in regnum eius ad gloriam tuam. Prohibe pater, ne ingratitude oblatam gratiam respuam, sed fac, ut vocem vocantis prompte sequar. O quam cupide sitis meam salutem, dum vocas me per Euangelium in acquisitionem gloria domini mei Iesu Christi. Nunc mihi apparuit gratia Dei & saluatoris Iesu: vocor & erigor in spem viuam. O Deus, cum nemo possit venire ad te, nisi tu traxeris eum, trabe me, ut tractus sequar te, mitte pater, spiritum filii tui in cor meum, & trabe me, ut post te curram. Promissis tuis sta, & aufer cor lapideum de carne mea, conterens illud tanquam malleo, & quasi igni liquefaciens, ut fiat inde cor carneum & molle, in quod inseri possit sementuum: Inscribe illi Christum finem legis per auditum fidei, ut ipso per fidem habitans in eo opere-

tur per Spiritum, quæ tibi placent, neq; mihi nocent. Da vitam eternam mihi omni tua, & non rapiet me quisquam de manu tua. O Deus, non derelinques sanctos tuos, in æternum conseruabuntur, Amen.



DE

HOMINIS SPIRITVALIS FORMATIONE

ne per gratiam iustificationis.

CAPVT VII



AD HVC Conceptio :
FORMATIO sequitur, qua homo vocatus, femine Dei iam concepto, per Spiritum & fidem ad imaginem Dei, ad iustitiam & sanctitatem reformatur.

Hæc formatio fit tum per gratiã iustificationis, tum per gratiam sanctificationis, quæ hic propriam sedẽ figit.

Per gratiam iustificationis, qua

ho-

Formatio
 concepti
 hominis
 fit,
 1.
 Per gratiã
 iustificationis.

Quod fit.

homo vocatus & credens corā Deo
iustus per obedientiam Christi Iesu
acceptatur.

Hac transferuntur peccata cre-
dentis in Christum, & vicissim iusti-
tia Christi in credentem transfertur
per imputationem.

2. Cor. 5. *Fecit enim, ut, qui non nouit peccatū,
pro nobis peccatum esset, ut nos efficeremur iusti-
tia Dei in eo. Rō. 5. Etenim si per unam offensam
mors regnauit per unum: multo magis ii, qui re-
dundantem illā gratiam & donum iustitiæ acci-
piunt in vita regnabunt per unum Iesum Chri-
stum. Nempe igitur si per unam offensam reatus
venit in omnes homines ad cōdemnationē: ita per
unā iustificationē iustitia redūdauit in omnes ho-
mines ad iustificationē vita. Sicut n. p̄ inobedi-
tiā unius hominis peccatores cōstituti sunt multi:
ita per unius obedientiā iusti constituētur multi.*

In hac igitur formatione per iusti-
ficationem, PRIMO remittuntur
homini peccata, seu, reatus & pœna
peccati a credente per Christi passi-
onem & mortem remouetur.

Col. 2. *Recōciliauit vos in corpore illo carnis suæ p̄
mortē, ut sisteret vos sanctos & inculpato & irre-
prehēsos corā se. I. Pe. 2. Qui peccata nostra ptulit*

Probatur

I.
Pars pri-
ma Remis-
sio pecca-
torum.

Probatur

Pars scilicet
da impu-
tatio iu-
sticia
Christi.

in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui
viveremus iustitia, cuius vibicibus sanati estis.

Deinde per Christi iustitiam cre-
dens oblecta peccati culpa iustus
censetur.

Psal. 32. *Beatus levatus a defectione, cuius te-
ctum est peccatum.* Phil. 3. *Ut comperiar in eo
non habens meam iustitiam, nempe, quæ est ex
lege, sed eam quæ per fidem Christi, id est, iustiti-
am, quæ est ex Deo per fidem.*

Hinc
ad peso-
na Dei fi-
lium.

1.

Formatus ita homo per iustifica-
tionem, seu iustificatus accipit po-
testatem, ut actu censetur filius
Dei per Iesum Christum.

Eph. 1. *Qui prædestinavit nos, quos adopta-
vit in filios per Iesum Christum in sese, pro bene-
volæ affectu voluntatis suæ.*

2.

Heredes
Dei.

Hinc factus filius simul fit heres
Dei.

3.

Coherede
Christi.

Rom. 8. *Quod si filii etiam heredes, heredes
quidem Dei, coheredes autem Christi: si modo
simul cum eo patimur, ut simul cum eo glorifice-
mur.*

4.

Cor sorte
afflictio-
num.

Facto Dei filio, & coheredi Chri-
sti, afflictiones omnes, ac etiam de-
lectus, tantum sunt castigationes
paternæ ad bonum illorum.

Rom.

Rom. 8. *Novimus autem iis, qui diligunt Deum, omnia simul conferre ad bonum, iis, qui ex proposito ipsius sunt vocati. Psal. 89. Visitabo quidem virga defectionem eorum, & plagis iniquitatem eorum: sed benignitatem meam non irritam faciam ab eo, neq; mentiar contra fidem meam. 2. Cor. 12. Et ne excellentia revelationum supra modum efferrer, datus est mihi stimulus infixus carni, & Angelus Satan, ut me colaphis cedat, ne supra modum efferar.*

Filius insuper hic Dei habet dominium in omnes creaturas terreae.

4.
Dominium
creaturarum.

1. Cor. 3. *Sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura, omnia, inquam, vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.*

Deniq; habet angelos ministros in commodum suum.

5.

Heb. 1. *Nonne omnes sunt ministratores Spiritus, qui ministerii causa mittuntur propter eos, qui heredes erunt salutis.*

Exhortatio ad Deum.

Admirare, o homo, Dei ineffabilem gratiam, cuius abundantia in te quoq; redundavit per Christum Iesum, adora Dei misericordiam, per quam tua tibi in Christo remittit peccata. *Amplectere cordis*

Vsus 1

tui ambabus vlnis, fideiq; manibus obedientiam
 & meritum Christi mediatoris tui, per quã Deo
 reconciliatus pacem cum ipso habet restitutus in
 spem viuam. Abundauerit delictum, superabun-
 dat tamen Dei gratia, vt sicut regnavit pecca-
 tum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam
 in vitam aternã, per Iesum Christum. Apparuit
 tibi etiam benignitas & humanitas saluatoris tui
 Dei, non ex operibus iustitia, qua fecisti tu, sed se-
 cundum misericordiam suam saluum te fecit.
 Gratia, inquam, Dei saluatoris, & hoc non ex
 te, Dei donum est, non ex operibus, ne quis g ori-
 etur. Hanc corde tuo excipe, oculis respice, in hac
 confide. Sed & fide simul respice Christum cruci-
 fixum & vulneratum propter iniquitates tuas,
 & attritum propter scelera tua, factum obedi-
 entem patri usq; ad mortem crucis. Hic te a
 maledictione legis liberauit factus pro te maledi-
 ctum. Hic pro te dedit semet redemptionem.
 In huius nomine Saluatoris, quia ipse tibi factus
 est sapientia a Deo, iustitia, sanctificatio & re-
 demptio. In hoc fide recumbe &
 saluus eris, nec vnquam con-
 funderis.



 ORA -

ORATIO AD DEVM.

A Eterne ac cœlestis pater, diues misericordia,
 propter nimiam caritatem tuam, qua me
 miserum dilexisti, cum essem in peccatis mortua-
 us, una me viuificasti in Christo, ut eius gratia
 seruarer, quas ego tibi referre gratias possum?
 Licet animam & corpus meum totum tibi im-
 penderem, nunquam tamen tue gratia, mea
 gratitudo respondere potis est. Dixisti & fecisti:
 Emundabo illos ab omni iniquitate, qua pecca-
 uerunt mihi, & propitius ero omnibus prauari-
 cationibus eorum. Abstulisti peccatum meum,
 & coniecisti illud in filium tuum. Hic vulnera-
 tus est propter iniquitates meas, attritus propter
 scelera mea, disciplina pacis mea super eum, li-
 uore eius sum sanatus, deleuit quod aduersum
 me erat cheirographum, tulit ipsum de medio,
 & cruci affixit: atq; ita per hostiam suam ap-
 paruit in destructionem peccati. Eius iam
 sanguis purgat me ab omni peccato. Bene-
 dic igitur anima mea, Domino, & quicquid
 intra me est, nomini eius sanctissimo. Benedic
 anima mea DOMINO, qui propitiatur
 omnibus iniquitatibus tuis, qui te coronat mi-
 sericordia, & miserationibus. Lauda ani-
 ma mea IESVM redemptorem tuum, quem
 Pater misit, ut consolaretur omnes lugentes,

corroboraret infirmos, daret coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris: ipse semet sanctificauit pro te, ut sis & ipsa sanctificata in veritate, ipse te lauat & induit vestimento salutis, & circumdat indumento iustitiæ. Sit nomen Domini benedictum in secula, quia nihil iam damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, in quo omnis, qui credit, iustificatur. (redo Domine, at succurre imbecillitati meæ, ut in fide firmus perstem, & in nouitate Spiritus, sanctus & immaculatus sim in conspectu tui, ad nominis tui gloriam sempiternam, Amen.



D E

FORMATIONE
HOMINIS SPIRITVALIS
per gratiam sanctifica-
tionis.

CAPVT IIX.

Sanctifi-
catio.

Homo ubi iustificatus, filius & heres Dei constitutus, SANCTIFICATIONIS gratia informa-

ri

ri incipit ad DEI imaginem in sanctitate & iustitia.

SANCTIFICATIO enim (*quæ proprie huius loci est,*) est qua homo iustificatus a tyrannide peccati liberatus paulatim intrinsecus renouatur in sanctitate & iustitia, per Spiritum sanctificationis se in nos insinuantem & in nobis sanctitatem creantem.

1. Ioan. 3. *Quisquis natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, eo, quod ex Deo natus est.* Rom. 8. *Nulla igitur nunc est condemnatio iis, qui sunt in Christo Iesu, id est, qui non secundum carnem incedunt, sed secundum spiritum.* Ibidem: *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu: Siquidem spiritus Dei habitat in vobis. Quod si quis Spiritum Christi non habet, is non est eius. Porro, si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus autem vita est propter iustitiam.*

Pe: ficitur autem Sanctificatio hæc tum *mortificatione carnis,* tum *viuificatione Spiritus.*

MORTIFICATIO carnis est, qua peccati vis paulatim in homine,

E

Partes
sanctifica
tionis.

Mortifica
tio carnis.

qui sanctificari incipit, debilitatur & interimitur.

Rom. 6. *Absit, qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo? An ignoratis nos quotquot baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem eius esse baptizatos? Sepulti igitur sumus una cum eo per baptismum in mortem: ut sicut excitatus est Christus ex mortuis in gloriam patris, ita & nos in nova vita ambulemus. Nam si cum eo plantati coaluimus, conformatione resurrectionis coalescemus. Gal. 5. Qui sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis.*

Vivifica-
tio spiri-
tus.

VIVIFICATIO Spiritus est, qua sanctitas a Spiritu in nobis incoata inhærens paulatim & perpetuo sua capit incrementa.

Primo enim accipimus primitias Spiritus: deinde earum continuam auctorem.

Eph. 4. *Renouamini Spiritu mentis vestrae, & induite novum illum hominem, qui secundum Deum conditus est ad iustitiam & sanctitatem veram. Eph. 2. Et vos una vivificavit, cum essetis mortui in offensis & peccatis. Gal. 2. Una cum Christo crucifixus sum: Vivo autem non amplius ego, sed vivit in me Christus: & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem filii Dei, qui*

dile-

dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Rō. 8. Neque vero illa solum, sed & ipsi qui primitias Spiritus habemus, nos ipsi, inquam, apud nos ipsos suspiramus adoptionem expectantes, id est, redemptionem corporis nostri. 1. Cor. 15. Ita enim scriptum est: Factus est prior Adam animal uiuens, posterior autem Adam factus est spiritus uiuificus.

Exhortatio ad Hominem.

E Legit te Deus, o homo, ut esses sanctus, creauit te ad imaginem suam in sanctitate & iustitia, filium tibi dedit, ut restaurareris ad pristinam sanitatem, redemit te per filii sui mortem, ut cū Christo resurgeres ad vitam sanctam. Spiritum sanctum tibi donat, ut te sanctificet, tuq; in nouitate spiritus ambules. Audi Deum dicentem Exod. 19. Viri sancti eritis mihi. Leuit. 19. Estote sancti, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Totis viribus tui sanctificationi incambe, ut paulatim in sanctitate & iustitia renoueris. Mortifica carnem tuam crucifigendo eam quotidie, nihil ex eo, nisi malum, quodq; tibi tuq; salutis nocet, exsilit & proficiscitur. O beatū te hominem, si te abnegaueris, si carnem cum affectibus & concupiscentiis crucifigere annixus fueris. O felicem te iterumq; felicem si uiuificando Spiritui quotidianam nauaueris operam, ut cum CHRISTO plantatus coalescas,

Vsus x.

*cum Christo conformatione resurrectionis un-
aris, cū Christo excitatus in noua vita ambules.
Contende studio omni ad spiritus primitias, ut re-
nouatus mentis tua spiritu, nouum illum homi-
nem induas, qui secundum Deum est conditus
in sanctitate & iustitia, ut vitam, quam nunc
viviſ in carne, viuas per fidem filii Dei, adeoq;
Christus in te viuat. Et germinabis sicut lilium,
& erūpet radix ex te ut Libani, palmes in Chri-
sto manens, feres fructum multum, plantata eris
arbor illa ad decursus aquarum, quæ fructum su-
um dabit, & folium tuum non defluet, & omnia
quæcunq; feceris prosperabuntur.*

ORATIO AD DEVM.

V. 100 2.

*S*anctissime Deus, qui dixisti: Sancti estote,
quia ego sanctus sum Deus, ego iniustus &
impurus sum, cœno peccatorum pollutus, imma-
ne, quantum sordibus scelerum contaminatus.
Non possum aliquid boni ex me, tanquam ex me
cogitare: Sufficiētia mea omnis est a Deo sanctifi-
catore meo. Purga itaq; me immundum Deus &
sanctifica me indies, sine tuo lumine, nihil in me
luminis. Tuum est operari in me pro bona tua
voluntate, & velle, & operari. Tu Deus potes
facere, ut abundem in omne opus bonum. Re-
noua me spiritu sanctificante, ut ablutus & san-
ctificatus, tibi dilectus & delectus, non conformer
amplius prioribus ignorantia meæ desiderijs, sed

se-

*secundum te, qui vocasti me sanctum, in omni
conuersatione, ambulem sanctus, da Deus san-
ctificando ut exhibeam membra mea organa iu-
stitia in sanctificationem. O Domine sanctifica-
tor Israelis, sanctificatio tua in medio mei vigeat
perpetuo. Da mihi secundum diuitias gloriae tuae
virtute tua corroborari per spiritum tuum in
homine interiori, et ego fide et vita mea sancti-
ficabo te Deum meum patrem, per Christum fili-
um tuum seruatorem meum, in spiritu sanctifi-
cationis, Amen.*



D E

FINIBVS SPI-
RITVALIBVS REGE-
nerationis.

C A P V T IX.

H Actenus de parentibus
& semine, de conceptio-
ne & formatione homi-
nis spiritualis: FINE S
restant, quorum gratia homo gigni-
tur spiritualis.

Finis.

E 3

*Ratione
Dei.*

Horum alius DEVM, alius HOMINEM spectat.

*Gloria
Dei.*

DEVM spectans nouæ & spirituales regenerationis huius finis est GLORIA DEI, quæ celebratur & amplificatur per peccati abolitionem & diuinæ imaginis in homine reparationem. Hominem non modo fecit, sed & refecit propter semetipsum. In hoc nouæ creationis opere elucescit maxime Dei gloria, dum Deus hominem innumerabilibus vitis coopertum ad suam reformare non dedignatur imaginem. Et hinc renati pro tanto beneficio hic Dei gloriam concelebrant, & postea per ducti in vitam æternam, Christi sui gloriam videntes, Dei conspectu perpetuo fruentes in omnem seculorum omnium æternitatem Deum glorificabunt.

*Ratione
hominis
renati.*

Finis spectans hominem, aut Renatū, aut renati Proximū concernit. I. RENATVM ipsum, vt in ipso aboleatur peccatum & imago Dei

repa-

reparetur: ideo enim proxime hominis efficacia Spiritus sancti renouantur, atque vitia reparatus, fit sanctus & inculpatus in conspectu Dei per caritatem.

II. Proximum renati, vt sancta & pie viuendi ratione regeniti hominis, Christo proximus lucrifiat, & adducatur. Nam, qui conuersi sunt, illi vt etiam convertantur, fidei institutione, sancta admonitione, & pio vitæ exemplo sedulam impendere debent operam, vt ita sibi viam ad maiorem Dei benedictionem sternant.

Dum ita mortificatur caro, & Spiritus viuificatur, noua mens & intellectus vera Dei & sui ipsius cognitione illustratur.

Bona & sincera voluntas redditur ad bonum approbandum & malum repudiandum.

Cor nouum creatur, Deiq; amore & dilectione proximi diuinitus inflammatur.

Noui affectus & sensus puriores

*Ratione
proximi.*

Effectus.
1.

2.

3.

4.

pedetētim gignuntur: illorum enim prauitas non nihil frangitur & debilitatur.

5. Spes certior in gratuita Dei patris misericordia recumbit & acquiescit.

6. Rectum & serium pie & sancte viuendi studium, sincerumque Dei gloriæ propagandæ, & saluti proximi promouendæ conatus, ac utriusque vehemens desiderium accenditur & fouetur.

7. Bonæ denique ac tranquillæ conscientię testimonium confirmatur. Ex regegnitis enim metus damnationis & horror æterni ignis tollitur, illorumque corda amore & pace Dei imbuuntur: Vnde *bonæ conscientię pacata tranquillitas.*

Compellatio Hominis.

Vsus. I. **C**onsidera, homo, te natum & renatum Deo, tibi, & proximo. Fac itaque agas vitam Deo gloriosam, tibi salutarem, proximum non offendentem, sed iuuantem. Cogita in omnibus
rebus

rebus cum primis te creatum ad Dei imaginem, & denuo creari & sanctificari ad eiusdem imaginem, ideoq; ad gloriam Dei, te & creatum & recreatum. Memineris voti, quod semel in baptismo fecisti, & toties in S. coena iterasti, glorifica Deum fide & vita sancta, commoda salutis tuae, sancta viua fidei obedientia, proximi tui inseruire commodis ne negliges. O quantus utilitatum chorus te sanctum amplexabitur. Quiete gaudebis conscientiae bonae, cum e contrario pax non sit impiis. Benedictio Domini undiquaq; te circumdabit, cum ex aduerso gloriam Dei non curantibus sed conspurcantibus paratae sint omnis generis maledictiones. Testimonio ornaberis verae & viuae fidei, cum aliorum hypocritarum sit simulata & mortua. Memineris glorificationem tuam cum Dei glorificatione individuo colligatam nexu, & arrha futurae quietis & gloriae coelestis ob signatus olim sanctorum obibis mortem, quae preciosa est in conspectu Domini Dei nostri.

ORATIO AD DEVM.

Optime Maxime Deus, glorioso tibi gloria, nobis vero faciei confusio debetur. Mandasti nobis a te creatis, conseruatis, redemptis & regenitis in spem viuam, ut te omni actione interna & externa glorificemus. Da mihi per Spi-

Vfus 2.

ritum sanctificationis, ut te honorem, & vicissim me honorabis, secundum verbum tuum. Absit, ut unquam te contemnem, ne levis fiam. Da etiam, ne unquam & usquam mihi & proximo, meis & proximis commodis desim, sed semper utraque pari amore & conatu proueham.

Nihil aliud est, quod a me possit ad te redire, nisi ut te Deum meum glorificem. Non eges vlla mea opera ad felicitatem tuam, qui beatus satis eras futurus, nulla etiam existente creatura.

Conatum meum obfirma & prouehere, quo declarare studeam erga proximum dilectionem meam, ipsum ut exemplo meo ad te Deum glorificandum excitem, inuitem & lucrifaciam, atque ita in omni vite meae curriculo id operam dem, ne vel a me, vel ab aliis tu Deus meus gloria, ego salute, proximus debito suo priuetur. O fac hoc, qui facis omne bonum eterne Deus
 • omnis bonitatis fons, per Iesum
 Christum, Amen.





DE

HOMINIS SPIRITVALIS, IAM FORMATI & nati Eulogius, ac titulis.

CAPVT X.



Adenus sunt expositæ CAUSSÆ diuinæ & spiritualis huius procreationis: Iam considerandus venit ipse HOMO spiritualiter formatus & iam in cœlestem locum editus, cuius iam deinceps describemus Naturam elite is sacris demonstratam, & partes.

NATURAM nobis describent & explicabunt tituli & nomina quibus ad eruendam notionem eius ipsum Sacra scriptura insigniuit.

HOMO ita regeneratus dicitur SPIRITVALIS Gal. 6. Primo, qui spiritualiter a Spiritu Dei, ad vitam spiritualē

*Natura
hominis
spiritualis
ex titulis
eius*

CVR

I.

Spiritualis.

reformatus a Spiritu cœlesti ducitur, qui regenerationis opus sibi vēdicat, eumque spirituaalem efficit. Et uti Christus hunc hominem sibi per Spiritum sanctum in templum sanctum consecrat: ita etiam per eundem in ipso tanquam in sanctificato templo habitat. II. Multa etiam opera spiritualia edit in aliis ædificandis, spiritualibus donis in aliorum salutem instructus. Ille igitur, ut spiritualis est, sic alios etiam efficere spirituales conatur. III. Spiritualia denique bona potissimum quærit, eaque corporalibus præfert. Superna & cœlestia affectat non admodum terrestria curans: Christoque spiritu & pietate adhæret.

NOVVS.

Ezech. 31

1 Cor. 3.

II. SPIRITVALIS etiam NOVVS (*ut supra*) appellari solet a vitæ novitate, quod iam nova creatura in Christo Iesu per Spiritum sanctum sit factus. Deus enim suo spiritu novam mentem, novam voluntatem,

no-

nouū cor & purgatos affectus, vires
ac mores nouos in illo creauit.

Noua hæc creatura in regno
Christi spirituali, ciuis etiam spiri-
tualis factus est.

III. FILIUS item DEI vocatur
(Rom. 8. Ioan. 1. & alibi,) quia Deus e-
um in Christo dilecto filio in filium
adoptauit. Fecit enim ex non filio
filium: Natura erat filius iræ: sed per
gratiam fit filius Dei. Quot igitur
Spiritus sanctus regenerat, in tot fi-
dem generat, qua Christo inserun-
tur, & ius adoptionis cōsequuntur.

IV. HERES DEI nominatur.
Quos enim Deus in filios adoptat,
eos etiam ad ius hereditatis, & in
plenam omnium bonorum possessi-
onem admittit. Parentum quippe
bona iure hereditatis ad legitimos
filios transmitti solent. Dei autem
bona, quæ filiis suis præparauit, præ
magnitudine & multitudine eorū,
nemo satis complecti cogitatione
poterit.

3.
Filius
Dei.

4.
Heres
Dei.
Rom. 8.

5.
*Frater
 Iesu Chri-
 sti.
 Ioan. 20.*

V. FRATER appellatur Iesu CHRIS-
 TI. 1. Propter naturæ communi-
 onem, quod vera carnis societate sit
 illi coniunctus, & ille ipsi. 2. Frater
 potius Christi est, non quatenus est,
 sed quatenus sanctificatus & iam no-
 uus homo factus, quia naturæ eius
 vitiositas per Spiritum sanctum est
 resecta, & ad Christi imaginem in-
 stauratur. Est igitur caro ex carne &
 os ex ossibus Christi, qua Christo
 per fidem insitus & a Spi ritu sancto
 ad sanctitatem Christi instauratur.

6.
*Coheres
 Christi.
 Rom. 8*

VI. COHERES est CHRISTI, quia
 cum Christo immortalitatis, vitæ &
 cœlestis gloriæ particeps futurus
 est. Ibi cum Christo, ab omni labe
 peccati purissimus, ab omnibus in-
 firmitatibus immunissimus, æterna
 donatus libertate, immutabili per-
 fondetur gaudio, summa coronabi-
 tur gloria, sempiterna corporis & a-
 nimæ perfruetur quiete, & tantis
 circumfluet bonis, quanta mens no-
 stra comprehendere non potest.

HE-

VII. HERES est MVNDI, cui omnia sunt pura. Vt enim illi Deus dedit vnigenitum suum filium, sic etiam omnia vna cum illo ipsi dedit.

7.
Heres
mundi.
Psal. 37.

FIDELIS insuper dicitur, quod forma constantia Deo perpetuo adhæreat, fidemq; datam seruet, & in Dei bonitate tanquam in tutissimo atq; loco conquiescat.

IIIX. I V S T I nomine sæpius appellatur, quia iustitiæ Christi imputatione coram Deo iustus censetur, si quidem gratuitam condonationem peccatorum & meritum Christi vera fide amplectitur, quia iust⁹ factus iustitiã amat & colit, dũ a Spiritu S. ad iuste agendũ renouatus impellit.

8.
Iustus.

IX. S A N C T I nomen habet, quia Christi sanctitas & innocentia ipsi imputata est, quia a Spiritu sancto sanctificatur, qui in ipso sanctos & puros affectus & motus efficit, quia fert sanctitatis fructus, aliosque ad sancte viuendum inuitat. Hinc purus, hinc etiã immaculatus dicitur.

9.
Sanctus.

10.
Ovis
Christi

X. OVICULA Christi Iesu saluta-
tur, Christus enim eum verbo &
piscina suo docet, ducitque, edoctus
Christi vocem agnoscit, audit, se-
quitur.

Hinc ovis instar placidus & man-
suetus nemini nocere cupit, sed o-
mnibus, quocunque modo potest,
prodesse studet. Expositus ve o lu-
porum & tyrannorum violentiæ, ad
Christum pastorem suum confugit.

11.
Templū
Spiritus
Sancti.
1. Cor. 6.

XI. TEMPLUM Spiritus sancti &
habitaculum Dei celebratur, qui in
eo, tanquam in sacrosancto domici-
lio sua gratia & efficacia habitat, &
conquiescit.

1. Pet. 2.

*Sanguine filii sui Deus hoc peculium sibi ac-
quisivit. Viuis item nominatur lapis, quia
totus fidelium cœtus est veluti spirituale
quoddam ædificium ex viuis constructum
lapidibus, qui per Spiritum & fidem in vnū
coadunati, mutua conglutinantur caritate.*

12.
Vas gra-
tia.
Rom. 9.

XII. VAS deniq; nuncupatur Mise-
ricordiæ, quod sit selectum & bene-
dictum organum, cui Deus suam

mi-

misericordiam impendit. Miserum enim & indignum hominem, ex maximo exitio liberat & seruat.

Exhortatio ad Hominem.

EX his grato animo iterum iterumq; agnosce, admirare, tuere tuū, quē a Deo, beneficio nouae huius regenerationis nancisceris, nomen, honorem, dignitatem. Considera hos, quibus Spiritus Domini te regentem insignit, titulos, & hinc metire priuilegia, & caelestia ornamenta, quibus diuinitus, tanquam caelum stellis condecoraris. Agnosce & adora Dei patris tui amorem, gratiam & misericordiam, a quo habes, quod filius & heres Dei, liber, iustus & sanctus dicaris. Summa animi gratitudine prosequere Christum saluatorem tuum, eiq; maximas habere & age gratias, huius quippe membrum, huius coheres, huius frater, huius ovis appellaris. Ama & reuerere regeneratorem tuum, Spiritum illum sanctum, cuius es templum, huius operatione vas & organum diuinae misericordiae diceris. O maximam nouae huius generationis virtutem, huic fac studeas continuo: hi tituli, haec ornamenta sint semper tibi pietatis exercitia, & quasi spiritualia ad omnes virtutes calcaria, ut per te celebretur ac glorificetur Pater, qui te creauit, filius qui te redemit, Spiritus sanctus, qui te sanctificat.

Vsus I.

F

ORATIO AD DEVM.

Vsue 2.
Ies. 54.
Ier. 32.

Coelestis Pater, Deus misericors, qui dixisti: *Fœdus pacis meæ non dimouebitur: & Pangam cum ipsis fœdus perpetuum. Tuq; o Iesu Dux salutis meæ, & pastor bone animæ meæ, qui dixisti: Oves meas nemo rapiet e manu meæ. Tua morte pro peccatis meis satisfacisti, & quotidie pro me intercedis apud patrem. Quanto honore me miserum beas hominem? quanto amore me complecteris, dum me, ex non filio facis filium? Quæ nam potest esse maior gloria, quam te Deum habere patrem, te Christum habere fratrem, & sanctum tuum Spiritum Doctorem & Paracletum? quodnam maius ornamentum ac priuilegium, quam esse, o pater, tuorum bonorum heredem, te filium Dei habere coheredem, esseque sanctum sancti tui Spiritus templum? Concede mihi gratiam tuam, eiusque incrementa quotidiana, ut coram te in iustitia ambulem, sim Sanctus sanctitate tua & mea, sim pius & beneficus, te Deum meum diligam, & amorem re & factò absq; vlla simulatione in te declarem. Da, qui renouas me, ut nouus sim homo, nec vetus in me regnet unquam, purus sim corde, teque sincero affectu colam, rectus sim via, rectaq; incedam via: sim conciuis sanctorum tuorum, domesticusque tuus maneam. Adoptasti me in familiam tuam, custodi me in ea, ut pupillam oculi tui, ne ex ea dilapsus tibi e-*

ri-

ripiar. Opus sum manuum tuarum, conserva me, vas misericordiae tuae, hanc mihi impende o gratiose Deus, ut tecum sim maneamq; aeternum felix, & in caelo perfruar gloria & gaudio sempiterno, Amen.



DE

MENTIS SEU
INTELLECTVS SANCTI-
tate, & primo Spirituali
sapientia.

CAPVT XI.

PARTES hominis Spirituales sunt Anima & Corpus eius sanctificatum, seu Anima & corporis regenerati sanctitas.

*Partes ho-
minis spi-
rituales*

ANIMA sanctificata est hominis Spirituales Spiritus, Dei spiritu regeneratus, qui hic vitis mori & iustitiae Deoque vivere incipit, & de die in diem satagit.

*Anima
eius.*

1. Theſ. 5. *Ipfè autem Deus pacis autor, ſanctificet vos totos, & integer veſter ſpiritus & anima & corpus inculpate in aduentum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeruentur.*

*Anima
facultates
sanctæ*

Animæ regenitæ & ſanctificatæ ſunt facultates & vires quoque renouatæ, quæ pedetentim Dei manu reformantur, & Spiritu eius repurgantur. Et quidem ſunt tum Propriæ homini, tum communes facultates aliis animalibus, non qua ſanctificatæ, ſed qua vires potentiæque agendi.

Propria.

PROPRIÆ animæ humanæ facultates, quæ hominem a brutis diſcernunt, ſunt Primariæ aut Secundariæ.

*Primaria
& ſuperiores.*

PRIMARIÆ ſeu ſuperiores ſunt MENS & VOLUNTAS, vtriuſque in homine ſpirituali ſpectatur. SANCTITAS.

*Mens &
intelle-
ctus ſan-
ctificatus.*

MENS ſeu INTELLECTVS regenitus eſt, quo homo ſpiritualis, ſpiritualiter intelligit ac ſanctè ratiocinatur. Hæc facultas vt in natura.

li homine est nobilior, ita & in spiri-
tuali præstantior, toti homini spiri-
tuali regendo & moderando in-
seruiens.

SANCTITAS autem Mentis est
eius illuminatio in agnitionem vo-
luntatis Dei.

Col. 1. Propterea & nos, ex quo die id audi-
uimus, non desiuimus pro vobis orare & petere,
vt impleamini omni agnitione voluntatis eius,
cum omni sapientia & intelligentia spiritali.
1. Cor. 12. Huic quidem per Spiritum datur ser-
mo sapientie, alii vero sermo cognitionis per eun-
dem spiritum.

SANCTITAS Mentis est, vel In-
tellectus Theorici, vel Intellectus Practici
in homine spiritali.

^{Vozum}
INTELLECTVS hominis The-
oricus consistit in contemplatione
& cognitione veri & falsi.

Huius sanctitas est salutaris sci-
entia, seu Spiritalis & Christiana
SAPIENTIA, quæ est peculiari do-
no Dei menti infusa scientia, qua
noua luce perfunditur mens, vt De-

Sanctitas
autem
mentis.

Sapientia
theorici
et intellectus

Sanctitas
intellectus
Theorici.

Praxis
Contem-
platio
cognitio
veri.

Sapientia
Christi-
ana.

exerci-
tatione
constat

um norit & eius voluntatem intelligat, Christi beneficio, q̄ est sapientia patris, & nobis est factus a Deo sapientia, nobis regni cœlo: um mysteria pandens.

Hinc a Spiritu Christi postea regitur homo, & deducitur in viam rectam, proficiendo in dies, ac flectitur ad omnia pietatis officia, quantum in imbecillitate huius vitæ fieri potest, donec ad perfectam scientiam in vita æterna adspiremus.

Hæc sapientia nos facit scire in terris ea, quorum cognitio manebit & augebitur in cœlis: perque hanc notam verbi DEI veritatem agnoscimus, prius exuta veteris hominis ignorantia & stultitia.

Probatur.

Syracides cap. 24. Eam ita describit, Sapientia vera est verbum Dei, ex ore altissimi procedens, cuius virtus non solum in rebus creatis, sed etiam in filiis Iacob manifestata, clarissime in libro fœderis describitur, docens salutaria eaq; desiderabilia, cuius quidem studium infinitum est,

sed

*sed qui eam audiet, non pudefiet, & qui sua per
illam obibunt negotia, non peccabunt.*

Videris & illam describi *Proverb. 8.* Item
Sapientia c. 7. 8. 9. Etsi a Spiritu sapientia hæc
infunditur, tamen in verbo Dei reuelatur.
Deut. 4. *Observato hæc mea statuta & iudicia.*
Nam hæc est sapientia vestra & prudentia co-
ram omnibus populis. Psal. 119. *Inimicis meis sa-*
pientiozem me reddunt præcepta tua. Syr. 1. *Ver-*
bum Dei est fons sapientia.

Exhortatio ad Hominem.

Vsus 1.

QUousq; o homo, a diabolo infatuatus, & a
tuis libidinibus dementatus, stultitiam se-
ctaberis? Pro rebus solidis ac veris umbras &
larvas consectaberis? Mundi huius sapientia a-
pud Deum est stultitia. Primo te Deus sapien-
tem in Adamo, iustum & sanctum condiderat:
at sponte insanire mauis, quam Deo te ad sapi-
entiam reuocanti aures accommodare. Deest
tibi tuaque menti sapientia: a Deo, qui dat sa-
pientiam & Spiritum sanctum, illam exora, su-
perne illa descendit: a Deo est omnis sapientia,
& quasi vapor virtutis Dei, ipse est sapientia
dux & sapientum moderator, ut recte cogi-
tent, & dicant: *Audi verbum Domini*
DEI, ex quo fluunt riuuli sapientia uberrimi.

Custodi praecepta sapientiae, & intelliges honorem Dei, & inuenies intellectum bonum, & sic euades sapiens. Dabo consilium, sequere, & sapientiam assequere.

I. Reuerere Iehouam o homo: siquidem malitiosam animam non ingreditur sapientia, & initium sapientiae est timor Domini.

II. Humilis esto, ut tuam ignorantiam ac imbecillitatem agnoscens a fonte sapientiae supremo postules id, quod deesse tibi vides.

III. Sedulo meditare & peruestiga Iehoua doctrinam, quae sapientiam afferre imperitis, & ad salutem sapientes reddere potest.

IV. Ne obiter, sed ingenti desiderio, Davidis exemplo ex toto animo eam quaeras, illa te oblectes, multisq; millibus aureorum & argenteorum nummorum eam anteponas.

ORATIO AD DEVM PRO
obtinenda sapientia, ex cap. 9.
& 10 lib. Sapientiae.

Vsus 2.

O Deus sanctorum nostrorum maiorum, qui in te sperarunt, & Domine misericordiae, qui omnia verbo tuo potente effecisti, & hominem in primis sapientia tua imbuiisti, ut domine- tur reliquis creaturis, quae in his formis cernuntur, ut cum sanctitate, cum iustitia & animo recto, tum iudicia publica exercent, tum reliquas

officii

officii partes administret: da mihi queso, humili
 & infirmo seruo tuo, homini tenuissimi iudicii
 & intellectus, per & propter aeternam illam sa-
 pientiam throno tuo assistentem, Spiritum sapi-
 entiae & iudicii, Spiritum, inquam, illum, qui
 scit, quid placeat in oculis tuis, & quid rectum
 sit iuxta mandata tua. Emitte, o Deus, e sanctis
 caelis a throno gloriae tuae Spiritum illum sapien-
 tia, ut praesens adsit, & versetur mecum in om-
 ni labore & opere meo, cognoscamq; & agam,
 quae grata sunt apud te. Ille, ille nouit omnia ac
 intelligit, estq; ducturus me in omnibus actioni-
 bus meis, in semitam rectam, ut pie moderate ac
 sapienter in vocatione me geram, & idem con-
 seruaturus ad gloriam sempiternam. Quis enim
 hominum (heu) Dei omnipotentis consilia cog-
 noscat aut quis ex se cogitare possit, quid velit
 Deus, nisi reuelet, multo minus id prestare possit
 viribus propriis? Siquidem mortalium ratioci-
 nationes infirmae sunt, & instabiles atq; vanae co-
 gitationes eorum, quia obnoxium corruptioni
 corpus animam aggrauat, & deprimat terrena
 habitatio mentem multis curis plenam: ita ut
 vix ea, quae in terra sunt, utcumq; coniciamus,
 & quae ad manus & ante pedes sunt, agere appre-
 hendamus: tantum abest, ut caelestia illa & sem-
 piterna ex nobis peruestigare possimus. Tu itaq;
 o Deus infinitae sapientiae, veram & caelestem il-
 lam sapientiam mihi largiaris, submisse oro, fac

illam in mente mea a te obtineam, & per te retineam omnibus diebus vite mea, ut & grata tibi efficiam, & proficiam indies, donec illa dies illucescat, qua & te, & sapientiam tuam in caelis contempler, & hac contemplatione beatus in secula vivam, Amen.

Sanctificationi mentis & intellectus
subiicio sanctificationem **C O G I
T A T I O N V M**, quarum perpetuus
fons est intellectus.

SANCTIFICAMUS cogitationes mentis nostræ per malorum abnegationem, & bonarum formationem.

Abnegandæ sunt malæ fere quatuor. I. *Otiose*. Si enim peccatum est otiosum verbum, cur non otiosa cogitatio?

In mentem igitur veniat, te semper assistere uniuersorum Domino, qui cor tuum intuens reprehendit tacitus eius otium & inertiam.

II. *Cogitationes violentæ* magis & fortius adhærentes, quæ ex eodem

assum-

Cogitationum
sanctificatio
fit abnegatione
malorum
I.
Otiosorum.

II.
Violentorum.

assumptæ limo, de quo nos facti sumus, naturam nimium sectantur, & si paululum infederint, auellinequeunt, sine læsione.

Admoue itaque securim ad radicem delectationis, quæ ex huiusmodi cogitationibus solet voluptatem afficere. Appetitus hic est carnalis, qui initio vitæ pullulat in nobis. Reprimere oportet, quem exstingue non possumus, quam primum cubile nostrum ingreditur, crescere eam ne patiamur.

III. *Cogitationes immunde ac fœtidae*, quas malignus offert hostis. Has fac cito abneges: Oportet, si mundas volumus conseruare animas, adhuc longe agentibus cogitationibus, multa cum indignatione occurrere & difflare a nobis, ne vllus detur eis accessus. *ait Bernhardus.*

IV. *Curiosæ* restant cogitationes rerum absconditarũ tam Dei, quã hominũ arcanorũ percontationes, occultorũ

3.
Immunda
dantur.

4.
Curiosa.
716779

scelerum inuestigatione, quæ solent esse multorum peccatorum seminaria. At vitanda nobis hic incuria nos ipsos indagandi, reflectenda in nos cogitatio: Custodiendi sunt oculi, vt custodiatur cor.

Internis etiam sensibus: phantasiæ præsertim frenum iniiciendum, quæ tantam imaginum turbam menti offert. Orandum & laborandum, & bonas formabis, vincendo malas, cogitationes.



DE

PRVDENTIA

SPIRITVALI ALTERA

mentis sanctitate.

CAPVT XII.



Intellectus Hominis
PRACTICVS in con-
sideratione & inspecti-
one omnium parti-

cu-

cularium actionum occupatur.

Huius potissimum sanctitas consistit in *Spirituali prudentia & regenerata conscientia.*

PRVDENTIA Spirituales, qua scientia & eadem perspecta veritas ad res & actiones particulares recte ac sancte administrandas pro circumstantiis personarum locorum & temporum applicatur.

Prudentia
spiritualis.

Dicitur Rom. 8. Prudentia Spiritus.

Prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus, vita & pax. Luc. 1. Iustorum appellatur prudentia. Hæc necessaria omnibus piis. I. Pet. 4. Estote prudentes & vigilate in orationibus. D. Bernharde dicitur discretio. Discretio inquit, omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, decorem & perpetuitatem. Est ergo, ait, Discretio non tam virtus, quam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrix affectuum, & morum doctrix: tolle hanc & virtus vitium erit. Ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur.

Prudentiæ Spirituales tum Gradus sunt, tum Effecta.

Prudentia
spiritualis.

GRADVS eius vulgo numerantur tres.

I.
Gradus

PRIMVS Gradus prudentiæ hu-
ius est sanctum consilium de reagē-
da vel non agenda. Huic Deus pro
gratia sua adiungit Spiritus sancti do-
num, quod idcirco consilium etiam
dicitur, quia a Deo, tanquam confi-
liario nobis datur.

Huius consilii moderatrices re-
gulæ constitutæ sunt quinque.

PRIMA consilii huius regula est
lex diuina, ad quam cogitatio & de-
liberatio omnis dirigenda est.

*Consilium meum, ait David Psal. 119.
iustificationes tuæ.*

SECUNDA est oratio ad Deum,
qua impetratur auxilium eius ad ea
cogitanda & constituenda, quæ eius
legi ac voluntati sunt consona.

*Psal. 119. Dirige me Domine in semita man-
datorum tuorum, quia ipsam volui. Item: Doce
me facere voluntatem tuam, quia Deus meus
es tu.*

TERTIA est diligens inquisitio
& meditatio eorum, de quibus con-
siliam capitur.

*Prouerb. 9. Salomon ait: Labia iusti confi-
de-*

de-

derant placita. Dauid Pſal. i. Beatum cum dixisset hominem, qui non abiit in consilio impiorum, subiūgit: sed in lege Domini meditatur die ac nocte. Pſ. 119. Lex tua meditatio mea est.

Quarta est, sibi suisq; cogitatis nō multum tribuere.

Prouer. 3. *Ne innitaris prudentia tua. Bern. Lepra proprii consilii eo est perniciosior, quo magis occulta, & quanti plus abundat, tanto sibi quisq; sanior videtur. Hæc illorum est, qui zelum habent Dei, sed non secundū scientiā, sequentes errorem suum, & obstinati in eo, ita vt nullis velint consiliis acquiescere.*

Quinta, in rebus grauibus adhibendi sunt in consilium alii.

Prouerb. 8. *Ego sapientia habito in consilio, & eruditio intersum cogitationibus. At audi Eccles. c. 6. Multi sint tibi amici, vnus autem sit tibi consiliarius de mille.*

SECUNDVS prudentiæ gradus est recte de iis omnibus, quæ in consilium allata fuerint, diudicare: quæ proprie discretio est, qua discernuntur vera a falsis, certa a dubiis, inutilia ab vtilibus, intempeſtiua ab opportunis, bona a malis: & inter hæc, quæ magis minus ue bona,

2.
Gr adus

quæ loco, tempori, personæ, rei agendæ magis minusve conueniant: nec quid solum, sed quantum & quatenus in unaquaque re statuum & progrediendum sit.

DISCRETIO hæc magnum Dei donum est, quod non nisi Dei gratia & magna humilitate acquiritur. Huius, quia difficilis est adoptio, præcepta a sanctis traduntur patribus fere septem.

Col. 24
cap. 8.

I. est Cassiani. *Mensuram virium suarum conuenit unumquemq; nostrum diligentius ante pensitare, atq; ad eius modulum arripere, quam libuerit disciplinam: quia quamuis sint utiles, tamen apta cunctis cuncta esse non possunt.*

Serm. 19
in cantic.

Secundum est Bernhardi. *Sapientia est Deus, & vult se amari, non solum dulciter, sed & sapienter. Vnde Apostolus rationabile, inquit, obsequium vestrum. Alioquin facillime Zelo tuo Spiritus illudet erroris, si scientiam negligas. Nec habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam si efficere possit, ut in ea incaute & non cum ratione ambuletur. Idem alibi: Virtus discretionis absque caritate iacet.*

lib. 30. mo
rel. cap.
14.

Tertium est Gregorii. *Necesse est, ut artem*

quisq;

quisq; continentia teneat, quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat. Nam plerunq; dum plus iusto caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur. Unde necesse est, ut interior homo noster, equus quidem arbiter presideat inter se & eum, quem exterius gestat: quatenus ei homo suus exterior, & semper ad debitum ministerium servire sufficiat, & nunquam superbe libera ceruice contradicat: nec moveat, si quid suggerendo subinuratur, dummodo eum semper superposito calce dominationis premat. Sicq; fit, ut dum repressa vitia reniti quidem nobis patimur, & tamen hac nobiscum congregari ex aequo prohibemus, nec vitia contra virtutem preualeant, nec rursus virtus cum vitiorum omnimoda extinctione succumbat.

Quartum est Cassiani. Sicut festinandum nobis est, ne appetitu corporea voluptatis in dissolutionem noxiam delabamur: ita est esca somnique refectio hora legitima, etiam si horreat, ingerenda. Vtrumq; enim bellum adversarii factione consurgit, & perniciosius continentia immoderata, quam saturitas remissa supplantat: ab hac namq; ad mensuram distractionis intercedente saluari compunctione conscendi potest, ab illa non potest.

Quintum est Gregorii. Plerunq; virtus cum indiscrete tenetur, amittitur, cumq; discrete intermittitur, plus retinetur. Ex studio arcus

4.
Coll. 2. 6.
17.

5.
Lib. 38.
Mor. 6. 6.

cautionatur, ut ino tempore, cum utilitate tendatur. Quod si otium relaxationis non accipit ferendi virtutem, ipso usu tensionis perdit. Sic aliquando in exercitatione virtus, cum per discretionem pretermittitur, reseruatur, ut tanto post vitia valenter feriat, quanto a percussione prudenter cessat.

VI. Est Bernhardi. Ne incurrat, qui currit, illuminari necesse est lumine discretionis, quæ mater virtutum est & consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, ne quid nimis. At vero, quia hæc rara avis est in terris, locum eius suppleat virtus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter, quam impetratum sit, faciatis.

Lib. 2. de
Sacerdo-
tio.

Septimum est Chrysoptomi. Tanquã coniecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, cauendumq; ne dum consuere vis, quod interruptum est, scissuram deteriore facias: ac dum eum, qui lapsus est, erigere studes, casus ipse maior per te reddatur.

III.

Tertius gradus huius prudentiæ restat, P R Æ C E P T I O, siue I M P E R I V M, quo magna vi & efficacitate animus imperat sibi, & intellectus voluntati ad ea complectenda & perficienda, quæ post consilium, ad rem agendam necessaria & opportuna censentur.

Hic magno animi robore opus est, quo superentur omnia, quæ, quo minus exlequamur, quæ prudentia præcipit, impediunt. Salomon pro-
uerb. 24. *Vir sapiens fortis est, & vir do-
ctus, robustus & validus.*

Effecta sapientiæ & prudentiæ
spiritualis sunt. I. Meditationes cre-
bræ de verbo & opèribus Dei.

Pfal. 1. *In lege Iehouæ est oblectatio eius, & de
lege illius meditatur interdum ac noctu.* Psal. 119.
De mandatis tuis meditor & intueor semitas tuas.

II. Discretio boni & mali.

Heb. 5. *Adultorum solidus est cibus eorum
videlicet, qui propter habitum sensus habent ex-
ercitatos ad discretionem boni & mali.* Phil. 1.
*Vt dignoscatis, quæ discrepant, ut sitis sinceri &
inoffenso cursu pergatis ad diem usq; Domini.*

III. Diudicatio spirituum.

1. Ioan. 4. *Dilecti, ne cuius spiritui credite,
sed probate spiritus, an ex Deo sint. Nam multi
Prophetae venerunt in mundum.* 1. Thes. 5. *Omnia
explorate, quod bonum fuerit retinete.* Act. 17.
*Fuerunt autem isti generosiores iis Iudæis, qui
erant Thessalonica, ut, qui receperint sermonem
cum omni alacritate, quotidie scrutantes scriptu-
ram, an hæc ita se haberent.*

Exhortatio ad Hominem.

Quisquis esse spiritualis gaudes, fac spiritu prudentie in omnibus tuis actionibus gaudeas. In regia mentis tue sessitet & cuncta administret regina prudentia, non quidem carnis, quae callida est nequitia, sed spiritus, quae Deo, sibi & proximo commodare studet. Haec piis semper fuit bonum maximum. Hoc si poteris, animus tuus habet validissimum frenum. Ne tibi sit incunda vita, a qua abest prudentia. Hanc si amplexus fueris, ubiq³ idem fueris, & prout rerum ac tēporis varietas exigit, ita te pie accommodes temporibus: nec te in aliquibus mutes, sed potius decore aptes, sicut manus, quae eadem est, cum in palmam extenditur, & cum in pugnum adstringitur. At vero, si prudens esse cupis, in futura prospectum intende: & quae possunt contingere animo tuo cuncta propone: Nihil tibi subitum sit, sed totum ante prospicias. Si igitur prudens est animus tuus, vitae actiones tribus temporibus dispēsa: praesentia ordina, futura praevide, praeterita recordare. Nam, qui nil de praeteritis cogitat, vitam perdit: qui nil de futuro praemeditatur, in omnia incautus incidit. Sed quod caput rei est, ora supplex Dominum, ipse enim dat sapientiam, ex ore eius prudentia & scientia: ipse custodit rectorum salutem, & protegit gradientes in

sim -

simplicitate, seruans semitas iustitie, & vias sanctorum custodiens. A Deo si dirigeris, nihil prudenter non egeris.

ORATIO AD DEVM.

Fons vera sapientia & prudentia, omniscie Deus, qui per seruum tuum dixisti: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & dabitur ei: Ego peccator in multis cœcutiens labor, hallucinor, plurima necessaria ignoro, tu vero das sapientiam sapientibus, & scientiam diligentibus disciplinã, da mihi cor sapiens & prudens, da cor docile & circumspectũ, ut discernere inter bonum & malum possim. Tua gratia rorẽ tua prudẽtiã mihi affundat, ut in hac vita teneã rectã agendarũ rerum rationẽ ac viã, pie ac circũspecte viũã, recorder præteritorum, præsentia in timore tuo disponam, futura prævideam, circumstantias considerem, quicquid ex actione vnaquaque oriri potest acute præsentiam, rerum causas earumq; progressus non ignorem, bonorum & malorum fines, mortem, iudicium, infernum & cœlum sæpe sapius mecum reputem. Verba & opera tua fac mediter, dignoscam quæ discrepant, omnia explorem, quod bonum est retineam, proberm spiritus, an sint ex Deo, eludam deniq; omnium meorum, carnis, mundi & Satane artes, atq; ita tandem te duce, pergam inoffenso cursu, vsq; ad

*diem tuum, quo ipse venturus, animam meam,
& rationem villicationis mee postulatum.*

*Duc me, nec sine me, per me Deus optime, duci,
Nam duce me pereo, Te duce saluus ero.*



D E

CONSCIENTIA SANCTIFICATA HO- minis Spiritualis.

CAPVT XIII.

Conscien-
tia.

CONSCIENTIA (*cum
sub intellectu practico compre-
hendatur*) sanctificata seu re-
generata, huc pertinet, quæ cum
tua quidem natura sit corrupta, re-
nouatur tamen & purgatur fide in
CHRISTVM, per sanguinem eius
pro nobis effusum. Act. 15. *Fide
purgantur corda. Heb. 9. Quomodo ma-
gis sanguis CHRISTI purgabit con-
scientiam nostram a mortuis operibus ad
seruiendum Deo viuo.*

San-

Sanctitas igitur Conscientiæ est vis excusandi hominem de peccatis omnibus in Christo remissis, & de vita cum integritate acta.

1. Tim. 1. *Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam, qua repulsi nonnulli fidei naufragium fecerunt. 1. Cor. 4. Nullius rei mihi conscius sum: sed non per hoc iustificatus sum: sed Dominus is est, qui me diiudicat. Act. 23. Ego omni conscientia bona, (viri fratres,) seruiui Deo ad hunc usq; diem. Act. 24. In hoc igitur ipse me exerceo, ut conscientiam habeam sine offendiculo apud Deum, & apud homines semper.*

Hæc sanctificata & purgata conscientia tum testatur, tum excusat.

Testatur 1. particulariter nobis, quod simus filii Dei prædestinati ad vitam æternam.

Rom. 8. *Spiritus Dei testificatur una cum spiritu nostro (mente siue conscientia regenerata) nos esse filios Dei. 1. Ioan. 5. Qui credit in filium Dei, habet testimonium in se ipso, scil. conscientia. 1. Cor. 2. Nos spiritum accepimus, qui est ex Deo, ut sciamus, quæ Deus nobis est gratificatus.*

Testatur 2. conscientia de certa

quadam iustitiæ specie, vnde *iustitia bonæ conscientie* solet dici, quæ est constans, non fictum, firmumq; propositum cum pari conatu non peccandi amplius, sed in omnibus placendi Deo, & voluntatem eius exsequendi, coniunctum.

Heb. 13. *Orate pro nobis: Confidimus enim nos bonam conscientiam habere, ut qui in omnibus cupiamus honeste conuersari.* 2. Cor. I. *Gloriatio nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ, quod cum sinceritate Dei & simplicitate, non cum sapientia carnali, sed cum gratia Dei versati sumus in mundo.*

Excusat, & hominem spiritualem coram Deo purgat, atque defendit, aduersus omnes ipsius hostes spirituales & corporales.

Pf. 26. *Judica me Jehoua, quoniam ego in integritate mea ambulo, & Jehoua confido, me non vacillaturum. Proba me Jehoua, & tenta me: examina renes meos & animum meum.*

Nota: Conscientia regenerata, excusat ita in hac vita, vt ex parte etiã accuset, quia totus homo, ideo etiã ipsius conscientia ex parte tan-

tum

tum regenerata est, & proinde ex parte adhuc vitiata. Ne mihi cre, diuersum potius attende respectum.

Hominis excitatio.



O Homo, quisquis es, conscientia tua sis obseruantissimus: gemma hac nihil pretiosius, nihil ad salutem certius. Hac si destitutus es, remis velisq; eo contende, ut potiare bona ac pacata conscientia. Indefagato studio diuitiis, honoribus, & voluptatibus inhias mundanis, cur non omne curriculum industriae tuae in conscientiae periculis propulsandis, eaq; pacanda & renouanda insumis? O homo, crede mihi, si conscientia sanguine Christi emundata destitueris, nunquam poteris te ipsum vera & solida letitia, quamdiu hic vivis, consolari & erigere. Si sanctificata cares conscientia, non potes non peccare: Nam siue comedas, siue bibas, dormias aut vigiles, vel quidcumq; demum agas, omnia tamen tibi in peccata conuertuntur. Conscientia tua prius bona sit, antequam actiones tuae esse possunt bona. Fuge, fuge mi homo, malam conscientiam omnes iudicis partes seuerissime exsequentem. Apparitor & licitor Dei est, obtorto collo te in conspectum iudicis abripit. Custos carceris est, qui te ligatum ad diem usque iudicii extremi detinet. Testis est contra te testans domesticus & o-

culatissimus. Censor est factorum tuorum seuerissimus, iudexq; rigidissimus sententiam damnationis contra te pronuntians. Tortor tuus est & carnifex, imo flamma ignis infernalis te excruciantis. Omne operam tuam pone in conscientia tua purganda & pacanda, ut pace & gaudio eius in spiritu sancto fruaris.

ORATIO AD DEVM.

Sanctissime Deus, iustissime & fortissime, ego immundus, iniustus & imbellis coram tua gloriosa maiestate cum timore & tremore prostratus iaceo. Ab pereo, nisi me iuves, misericordia tua miseria mea subueniat oro. Peccaui graviter, accusor, convincor, obmutesco, damnor, excarnificor. Misere mei & munda conscientiam meam vulneratam & contaminatam sanguine unigeniti filii tui ab operibus mortuis, ad tibi deinceps vivo Deo serviendum in iustitia & sanctitate. Coram te indesinenter ambulare, & integer esse debeo, & expeto, at, o Deus, da vires, & ipsam integritatem, ut semper vocationis meae munera, pie & constanter exsequar ad tuam gloriam, ad bonum Reipublicae, & ad edificationem Ecclesiae. O pater luminum, illumina mentem, flecte voluntatem, purgacor, refrena affectiones, ut in stadio huius meae, quae restat, vite decurram viam mandatorum

tuorum, militando bonam militiam retineam,
fidem, & bonam conscientiam, & supra omnem
observationem, custodiam cor meum, ex quo
prodeunt actiones vitæ meæ. Pupilla oculi persi-
milis est conscientia: ut igitur tu Deus agis cum
oculo, ita fac ut agam cum conscientia mea.
Largitus es oculis palpebras, quibus ab externis
iniuriis defendantur: da ut euitem omnia, qui-
bus conscientia mea pollui ac offendi potest. Mi
Deus, mi Pater, munda in me quod sordidum,
laua me filii tui sanguine, ut purgata gaudeam
conscientia, & reliquus gratiarum tuarum
cumulus se inuicem in me exosculetur. Si con-
scientia pacem in Christo per Spiritum sanctum
dederis, reddideris me alacrem, & confidentem
ad inuocandum te, erexeris me cruce pressum
consolatione suauissima, & in ipso agone mortis
efficacissimo paraclito impetum tentationum
omnium prostigaueris. Vnicum est, quod
peto, da mihi pacatam & sanctifica-
tam in vita & morte consci-
entiam, Amen.





DE

SANCTIFICA-
TA HOMINIS SPIRI-
tualis Voluntate.

CAPVT XIV.

Voluntas
sanctifi-
cata.

Voluntas de mente sancti-
ficata: VOLUNTAS
SANCTIFICATA est
animi spiritualis facultas
qua hic incipit bonum sancte velle,
eligere & appetere, malū vero, san-
cte nolle, fugere, auersari.

In hac itaque vita, imperfectio-
nis multum habente, voluntas re-
genita partim a peccati seruitute li-
berata est, partim vero sub pecca-
tum quasi venundata, & captiuata
sub lege peccati.

Philip. 2. *Deus enim is est, qui efficit in vo-
bis, & ut velitis & ut efficiatis pro gratuita sua*

bene-

beneuolentia. Rom. 7. Noui enim non habitare in me, hoc est, in carne mea,) bonum. Nam velle adest mihi, sed ut quod bonum est perficiam, non assequor.

Vt autem voluntas magis sanctificetur & liberetur a peccati iugo abnegationi propriæ, seu carnis voluntatis strenue est incumbendum. Propria voluntas carnis se ipsum quærit, se ipsa delectatur & neglectis aliis omnibus, amore sui quasi capta, tota intenta est in proprium commodum. Mirum quid accidit in abnegatione huius voluntatis.

Abnegatio enim est actio voluntatis, qua contra se ipsam insurgit, & quasi capit arma. Quis enim abneget voluntatem malum iam amplectentem, aut ad illud accedentem propius, nisi voluntas reiiciens malum, & eligens bonum? Ergo voluntas contra se ipsam conuertenda, vt se ipsam abneget. Quod quidem opus est diuinæ gratiæ maximum, conuertens cora voluptatibus pro-

*Voluntas
ut magis
sanctificetur
que
facienda.*

*Abnegatio
quia?*

priis ad virtutis amorem, non quidem cogens, sed voluntatem alliciens. Maxima suavitatis pars est posita hic in intellectus illustratione: Is enim certior factus de pernicie propriæ voluntatis, eam excitat, efficitque, ut quamprimum pestem illam a se radicibus excutiat, viriliterque sese ipsa abneget.

Status
mentis
nostræ.

Lib 3. de
resur.

Ut igitur voluntatem propriam, seu carnis abnegemus, proponamus menti nostræ statum eius, & quæ ex ea proficiuntur mala.

I. Status eius describitur a Bernhardo: *Propria voluntas Dominum maiestatis proprio furore impugnat. Nam seipsam primo subducit eius dominatui, cui tãquã auctori seruire debuerat, dũ efficitur sua. Utinã (horribile dictu) ne in ipsum deserviret auctorem: nunc autem (quantum in ipsa est) Deum perimit voluntas propria: omnino enim vellet Deum peccata sua aut nõ vendicare posse, aut nolle, aut ea nescire. Quid odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? cesset propria voluntas, & infernus non erit.*

II. Cogitemus ergo carnalis voluntatis illud esse, vt non se subiiciat diuinæ voluntati, sed diuinam voluntatem flectere potius, & suæ coniungere maxime conetur. Adiacet ei peruicacia & contumacia. Huic accepta referenda sunt omnia, quæ a mundanis hominibus crimina committuntur.

III. Christi exemplo incitemur, vt voluntatem nostram abnegemus. Ioannis 5. *Non quero, inquit, voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Luc. 22. orabat: *Pater si vis transfer calicem istum a me, veruntamen non mea voluntas sed tua fiat.*

Hæc pie meditantium mens voluntatem eriget, atque demum confirmabit ad seipsam abnegandam.

Exhortatio ad Hominem.

*S*ubiiciatur creatori creatura, voluntas tua, sanctæ voluntati Dei, oras quotidie: *Fiat voluntas tua pater, nō mea.* O beatū hominē, q̄ bonum

vult & eligit sancte, & qui malum fugit & a-
 uersatur pie. Huius voluntas Dei sui creatoris
 voluntati est consentanea. O homo, observa semper
 te ipsum, cogitationes, voluntatem, verba & ope-
 ra tua, & quicquid agis in timore Domini Dei
 tui age. In cogitationibus & operibus tuis nihil
 velim desideres, queras vel spectes nisi unum De-
 um, & quicquid agis ad ipsius refer honorem,
 ipse sit principium & finis tuus in omnibus rebus
 tuis. Morere vero funditus propria voluntati a
 Dei placitis abluenti: tota quoque voluntate te eius
 voluntati, qui te elegit, creauit, amauit, redemit,
 & sanctificare incepit, submitte, plus ipsi quam
 tibi crede. En ipse Iesus non fecit voluntatem su-
 am, sed patris sui, cui etiam fuit obediens ad mor-
 tem usque crucis. Imprime Iesum hunc seruator-
 rem tuum in cor & animam tuam, ut ipse per
 fidem in illo habitet, & vitam viuas Dei per fi-
 dem Iesu Christi, ad gloriam Dei & salutem
 tuam.

Oratio ad Deum.

TVa sancta voluntas est, o Pater caelestis, ut
 omnis, qui videt filium, & qui credit in eum,
 habeat vitam aeternam. Tua voluntate vis
 omnes homines saluos fieri & ad agnitionem ve-
 ritatis peruenire, ut nemo pereat, sed omnes ad
 poenitentiam reuertantur. Spiritus tuus bonus
 meam voluntatem flectat & regat, ut sancta tua

voluntati se obediendo submittat, ut faciã, quod
 bonum est in oculis tuis, dicam semper ex animo:
 Fiat tua voluntas, sicut in cœlo & in terra: Fiat
 mihi non sicut ego volo, sed sicut tu. Utinam per-
 uersa mea voluntas sit obsequiosa tua. Qui enim
 voluntatem facit tuam, pater cœlestis, hic intra-
 bit in regnum Dei. Si frater esse Christi filii tui,
 adeoq; tuus filius esse volo, tua, o pater, mihi vo-
 luntas est exsequenda. Ah inuenio legem volenti
 mihi facere bonum, quod mihi adiaceat malum.
 Condelector quidem lege Dei, secundum interio-
 rem hominem, & tamen bonum, quod volo non
 facio, sed quod odi malum, illud facio. Libera
 me Deus a corpore mortis huius, & contuma-
 cem refræna voluntatem. Da mihi insuper, ut
 propriam voluntatem, qua volo quippiam non
 propter te, nec secundum te, queq; concupiscit
 semper aduersus spiritum, odio habeam & mor-
 tificem tanquam hostem meæ salutis pessimum,
 omnisque peccati & mali in me radicem preci-
 puam. Idque fac propter Iesu Christi pas-
 sionem, mortem & intercessionem,
 Amen.





DE

SANCTITATE

FACULTATIS LO-

quendi.

CAPVT XV.

Faculta-
tes secun-
daria.

SECUNDARIÆ se-
quuntur facultates a
primariis & superiori-
bus mente & voluntate
dependentes, nimirum facultas Lo-
quendi, & Ridendi. *Siquidem homo
non modo est animal loquens, sed etiam
μελασικόν: Vnde & in spirituali homine utra-
que hæc potentia regeneratur & sanctifi-
catur.*

Sanctitas
Faculta-
tis loquē-
di.

LOQUENDI sermocinandique
facultatis sanctitas spectatur potissi-
mum in sancto eius vsu: spirante glo-
riã Dei, & hominis exædificationẽ.
Homo spiritu Dei actus bona, car-
nalis & malus mala loquitur. *Sermo
animi index.*

Matt.

Matt. 12. Progenies viperarum, quomodo possitis bona loqui cum sitis mali? Nam ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo ex bono thesauro cordis profert bona, & malus homo ex malo thesauro profert mala. Sed dico vobis, quodcumq; verbum otiosum locuti fuerint homines, de eo rationem reddituros in die iudicii. Ex sermonibus tuis condemnaberis. Prouerb. 18. Mors & vita sunt in lingua, prout amat quisq; uti ea, comedet fructum eius. cap. 21. Qui obseruat os suum, conseruat ab angustiis animam suam. cap. 22. Gloria & ignominia est in locutione: & lingua hominis ruina ipsi est. cap. 20. Sapiens seipsum reddit amabilem sermonibus, stultorum vero gratia effunduntur. Sapiens prouecturus est seipsum sermonibus, & vir prudens magnatibus placiturus.

Sancte autem Sermo hominis Spiritualis iam Profertur, iam Continetur, ac cohibetur.

Sancte profertur de rebus veris, sacris, conuenientibus, vtilibus, necessariis, gloriam Dei & ædificationē nostri promouentibus decore & tempestiue: idq; exemplo Christi & aliorum piorum hominum, qui de variis rebus sanctis, piis, gloriam Dei & vtilitatem hominum spirantibus

locuti legantur in sacris literis. De Deo, de sancto eius verbo, de operibus, beneficiis & iudiciis Dei, pie loqui, sancte item precari, mirum quantum deceat hominem regnitum.

Eph. 4. *Si quis sermo est commodus ad edificationis usum, ut gratiam auditoribus adferat, hic scilicet, habendus est.* Prouer. 5. *Lingua sapientum bonam profert scientiam, os autem stolidorum eructat stultitiam. Labia sapientum spargunt scientiam.* cap. 16. *Qui intelligentes sunt, in sermonibus suis testantur sapientiam.*

I. Sancte continetur & cohibetur sermo in rebus pietati & honestati aduersantibus.

Psal. 141. *Compone fereba & observa os meum, custodiens moderare, quicquid efferunt labia mea.* 1. Tim 5. *De rebus profanis, anilibus fabulis, futilibus, vanis, nugacibus, stultis, finolis, inutilibus, scurrilibus, garrientes quae non oportet.* Eph. 5. *Scortatio vero & omnis impunitas aut auaritia, ne nominator quidem inter vos, sicut decet sanctos. Et obscenitas & stultiloquium, & scurrilitas, quae non conueniunt, sed potius gratiarum actio. Nam quae occulte fiunt ab istis, turpe est vel dicere, &c.* cap. 4. *Nullus sermo putris egrediatur ex ore vestro.* 1. Pet. 3. *Itaque, qui vult vitam diligere & videre dies bo-*

nos, coerceat linguam suam a malo, & labia sua ne loquantur dolum.

II. In vana & pertinaci contradictione.

Eccles. 4. Veritati ne contradicas vllomodo, sed verecunde cohibetor, ne mentiaris inopia eruditionis tuæ. Neq; intelligentia propria contra alios innititor, neq; sapiens esto iudicio tuo. Proverb. 3. Nam qui sapientem agit, in verbis odiosus est, & omni sapientia destituitur. Eccles. 37. Vidisti virum sapientem in oculis suis? expectatio est de stolido maior, quam de illo. Proverb. 3.

III. In ficto sermone, adulatione, animi deprædatione.

Rom. 16. Nam, qui eiusmodi sunt, Domino nostro Iesu non seruiunt, sed suo ventri, & per blandiloquentiam & assentationem corda hominum minime malorum seducunt. Psal. 12. Labia blanda excindet Iehoua. Ps. 55. Cuius blanda sunt butyrina verba, dum bellum insidet animo eius, cuius molliora quidem verba oleo, sed stricti sunt gladii.

IV. In calumniis, & hoc, proh dolor, sedulo nimis frequentata maledicentia, & impudentibus mendaciis.

Coloss. 3. Deponite iram, maledicentiam,

neq³ mentiamini alii aduersus alium. Psal. 140.
 Vir maledictus ne stabiliatur in terra. Exod. 23.
 Ne efferto rumorem mendacii. Prouerb. 16. Vir
 nequam & maledictus effodit malum, eiusq³ la-
 biis insidet, velut ignis adurens. Eccles. 19.
 Audiisti sermonem? moriatur apud te, & bono
 animo esto, non enim rumpet te. A sermone
 stultus cruciatur doloribus, ut a foetu parturi-
 ens. Rom. 3. Sepulcrum apertum guttur illo-
 rum, linguis suis ad dolum abusi sunt, venenum
 aspidum sub labiis ipsorum, quorum os diris &
 amarulentia plenum est. Eccles. 23. Homo con-
 suesces sermonibus probrosis omnibus diebus suis
 nequaquam erudietur.

Exhortatio ad Hominem.

A Nimal quidem es loquens, at tempus est ta-
 cendi, tempus loquendi. Non semper & ubi-
 que, & quomodo libet, est sermocinandum. Fu-
 ge, homo, malum, tace & quiesce. In silentio &
 spe tibi sapius fortitudo collocabitur. Cum Mose
 tecum quietus pasce oves domini tui in interiori-
 bus eremi, & colloqueris cum Deo tuo. Et si in
 cubiculo quietus resideas, & voce tua appelles
 Deum solus: tamen angelus Domini leto te non
 destituet nuntio. Bonum est praestolari cum si-
 lentio salutare Dei. Penitius introspice mundi
 mores, & tecum habitare non erubescas. Ducat

Thren. 3

Os. 2.

te

te in solitudinem Deus, & ibi loquetur ad cor tuum: siquidem bonum est viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se super se. O uenerandum silentium. Si loqui vis, loquitur primum cum Deo, deinde cum homine. Spiritualis es, spiritualia ore spirituali, in spiritu & ueritate Deo tuo loquere. Loqui nostrum, inquit ex antiquis non nemo, ad aures diuinas, est motum mentis etiam expressione actionis ostendere. Loqui nostrum ad Deum est non uocibus gutturis, id quod sentimus proderere, sed promissis ad illum desideriis inhiare. Animarum uerba ipsa sunt desideria i. e. amando desiderare, & desiderando amare. Respondentis Dei sermo est inter ardorem desiderii, ex ipsa praesentia solatium percepta gratia. Loqueris itaque cum Deo tuo etiam, cum eleuata facie, & defixis oculis spiritualibus in Deum, eius contemplaris uirtutes & attributa, admiraris maiestatem, & in eximias laudes creatoris & recreatoris tui prorumpis, ac eum uehementer amas, eoque frui desideras. Inuocans Deum corde & ore, Deo tuo loqueris: at uide sancte, reuerenter, attente, & humiliter Dominum appelles: Homini deinde loquitur, & quidem primum TIBI ipse. Heus, a te ipso ante acta uita rationem repete, tecumque quid egeris & quid adhuc agas, reputa, atque saepius nouissima illa tua in memoria reuoca: quomodo non raro sa-

Thren. 3

1.

2.

Parfiss.

Et patres secum loqui consuevere. Explora itaq;
te ipse totum. Nam vir pius

Plautus.

3.

Cogitat & iusto trutinæ se examine pensat.
Vbi tibi locutus, correctione quid dignum inue-
neris, te seuerè corrigas, multa aliis ignoscas, tibi
nihil. At pauci istuc faciunt homines, quod
predicamus. Nam in foro vix decernus quisq;
est, qui ipse se nouerit. Cum aliis deinde loqui
omnino licet, inde enim tibi a Deo loquendi con-
cessa facultas. At vide sermo tuus vera & san-
cta spiret, & ad Dei gloriam, & in proximorum
salutem cedat. Caue impia, turpia, inconueni-
entia, mendacia, maledicentiam, dolosam adu-
lationem, detestare. Da operam, ut loquendo
magis Deo, quam hominibus placeas. Simplici-
ter, quod sentis, eloquitor, & quod dixisti, ipse fa-
cito. Multiloquium fugias, si sapius tecum, quã
cum aliis collocutus fueris. Memineris in omni
sermone te filium Dei esse, ideoq; te ea decere lo-
qui, quæ filium Dei demonstrant, & ornant.

ORATIO AD DEVM.

Pangam, o Deus, fœdus cum ore meo, ut
bene utar, quam dedisti, loquendi facultate,
sed tu pater, obde pessulum ostio labiorum meo-
rum. Compesce in me Domine prauam impure
loquendi consuetudinem. O quoties contra te &
voluntatem tuam sanctam sum impie locutus.

Ita

Ita me foris deinceps constringe & coerce, ne garrulitate & multiloquio sim effusus, sed suavissimos mecum & saluberrimos pii silentii & interne tranquillitatis fructus degustem, tibi que tanto tenacius adhaream, quanto minus mundanis fabulis & stabulis sum implicatus.

Spiritus tui imploro gratiam, qua possim adiutus temperare ita loquendi modum, ut cunctos laudabili ratione edificem, neq; mihi ipsi sim impedimento, quo minus animam meam ad te eleuare queam.

A L I A.

VAE misero mihi, Domine Deus: cum enim dixeris de omni verbo otioso, te rationem exacturum, quid infelix ego dicturus sum, qui sim plenus rimarum, hac atq; illac perfluam, vasis instar dissoluti, quod liquorem diu continere nequit. Nimiū me, proh dolor, effudi, dum abiq; circumspectione, qualibet passim apud quoslibet effutii, ita ut sensuū appetitione, aut vitiosa propensione commouerer. Præter enim inania verba, quorum nullus est numerus, tot insuper nugæ, tot impura, salsa & falsa protuli verba, ut hic præterea, cetera iniqua & perniciosa, impia & impura, quib. sæpe numero te offendi, & præclaro illo loquendi beneficio, soli homini præstato, impie prorsus abusus sum: non quidem eo utens ad tuam gloriam & aliorum salutem, sed ut plurimū

ad sensuum meos affectus & indecentes explendas appetitiones, nulla interim habitacione, neq₃ temporis, neq₃ loci, neq₃ persona.

Miser ego peccator, obsecro te benignum patrem meum, condona perditio filio tuo culpam hanc, quod hoc dono tuo, parum aut nihil lucrifeci, sed potius mihi & proximis meis plurimum incommodavi.

Presta, Pater, ut dono loquendi & tacendi, ubi necessitas vel utilitas poscit, sapienter & moderate utar. Ignita largire mihi locutionis gratiam, quam Apostolis in die Pentecostes dedisti, ut ad tuam gloriam, plurimos ad fidei, caritatis & spei sanctae iter, adeoq₃ ad Christum filium tuum adducam, Amen.



D E

RISVS SPIRITVALIS SANCTITATE.

CAPVT XVI.

*Facultas
videndi.*

Pater loquendi potentiam, soli homini creator vniuersi tribuit RIDENDI FACULTATEM, vnde homo animal γελαστικόν.

Hac

Hac etiam homo spiritualis non leuiter & turpiter in immunda mūdi vanitate, sed in sancta interioris mentis lætitia & spirituali voluptate contestanda vitur. Vt enim iustus in Domino gaudet, ita in Domino gaudio exultat ac ridet.

Licet Christus Dominus in hac vita nunquam risisse credatur, spe tamen futuri risus suos ad perferendos huius vitæ labores excitabat. *Ioan. 15.* Et ipse proposito sibi gaudio crucem sustinuit. *Heb. 12.* Imo cum (*ut sapientes docent*) nulla ratione fieri possit, vt homo in hac vita sine aliqua animi lætitia viuat: homini spirituali sua lætitia, adeoq; suus risus debetur, cum pluribus, maioribus ac diuturnioribus gaudiis, quā impius afficiatur, cūq; sola virtus, vera secum afferat gaudia.

RISVS igitur hominis spiritualis est, cum ipse decoro oris gestu spirituales recreati animi lætitiā in Domino, ostendit in vultu hilari. Non enim hic risus in ore & interiore vultu latet, sed etiam interdum foras erumpit.

Risus hominis spiritualis quid.

Ps. 65.

Ps. 69.

Ps. 4.

2. Cor. 9

Spiritus internæ cordis lætitiæ per Dauidem inquit: *Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in letitia. Letamini in Domino & exsultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. In tribulatione dilatasti mihi cor, & letitia me perfudisti. Cor meum & caro mea exsultauerunt in Deo uiuo.* Per Paulum ait: *Gaudete in Domino, iterum dico gaudete. Benefac, uiue & letare.* Veteres hoc declarant hac allegoria ex Gen. 22. Deus Abrahamo de nocte præcepit, ut surgeret, & filium Isaac (id est risum) sibi sacrificaret: qui tamen Isaac (i.e. verus & spiritalis risus) non fuit mactatus, sed illius loco aries, qui cornibus inhærebat vepribus.

Idem accidit, cum Deus te vocat, vt ei sacrifices Isaacum, id est, vt relinquas delectationes & delicias tuas, & vt ei in seruias. Vbi igitur te ad pie viuendum conuerteris, ac omne gaudium pro Dei gloria abiicere uolueris: Deus non permittit, vt Isaac, id est, verum cordis gaudium pereat: sed loco illius aries, i.e. carnis concupiscentia, falsa delectatio, quæ ad spinas huius mundi, in quo non vera lætitia, adhærescit. Quando itaque Deus in nocte ignorantia, te peccati somno sepultum, ad sibi in seruiendum, & ad sacrificandam voluptatem & risum vocauerit,

*Ne timeas: nam non morietur uera voluptas,
Sed tibi, qua pestem, dira cupido, parit.*

Tunc

Tunc autem sancti ridere solent
 præcipue, quando fluminis impe-
 tus, abundantia gratiæ Spiritus san-
 cti, lætificat ciuitatem Dei, mentem
 nimirum Deo per gratiam & spiri-
 tum copulatam, in qua tanquam in
 ciuitate Deus habitat. Qui spiritus
 tum etiam abundat, cum quis hila-
 ri animo propter Christum, ad Dei
 gloriam, suffert calamitates, quia
 Deus in tribulatione cor dilatat.
 Spiritualis hic risus erit tum maxi-
 me, cum tristitia nostra converte-
 tur in gaudium: & quando Domi-
 nus convertet captiuitatem Sion,
 eorum scilicet, qui electi sunt ad vi-
 sionem pacis, quia tunc fient sicut
 lætantes, & dicent inter gentes:
Magnificauit Dominus facere nobiscum.
 Tunc dicetur seruo iusto, *Euge, ser-
 ue bone & fidelis, intra in gaudium Do-
 mini tui.*

*Homo
 spiritualis quan-
 do præci-
 pue ridere
 solet.*

Exhortatio ad Hominem.

Ridendi te facultate instruxit Deus tuus,
 homo, si vis gaudere, in Domino gaude, si

vis ridere, internum cordis gaudium in spiritu sancto testare. Ne audias illud Domini. *Vae*, qui iam ridetis, quia postea flebitis. Ride sancte ob sanctam in Deo & in Christi pace letitiam, quae interdum tanta est, ut cum Davide in externum risum pulsando, & saltando sancti prorumpant. Spirituales cordis voluptates sunt maiores omnibus voluptatibus mundi in unum conflatis, etiamsi omnes pariter capere unus posset. Fac prius ut spiritus sancti suavitatem, ac virtutem in corde tuo degustes, & gaudio ad risum usque exsultabis. Non dedit ridendi Deus vires, ut risum huius mundi rideas. Risum mundi sequitur ploratus inferni. Risus ille (inquit sapiens) dolore miscebitur, & extremae gaudii luctus occupat. Cur leuiter & inaniter cum impio rides, cum ne una quidem die a morte sis securus, neque scias, prouisa an improuisa morte sis decessurus. Memorare nouissima tua, & vanus esse ridiculusque desines. Neque ideo risu prae-ditum te Deus voluit, ut derideas proximum tuum. Crede mihi, qui ludibrio alium habet, is ex despicentia, contemptu, defectu vel ignominia illius sibi voluptatem quaerit, & crabrones irritat, & ipse futurus est peccator: si vis irridere aliquem, te potius, tuamque deride stultitiam, ut non amplius ita desipias, sed resipiscas, & postea Spiritus sancti suauitate & gaudio perfusus sancte & beate rideas in Domino.

Prover. 14

ORA-

Oratio ad Deum.

Benedic anima mea Domino, & omnia, omnes animi mei vires, quæ intra me sunt, nomini sancto eius: quia replet in bonis desiderium tuum, & coronat te misericordia & miseratione. Clemens & beneficus es, o Jehoua Deus, dedisti mihi ridendi vim, sanctifica eam, ut sancte in te gaudento rideam, tuam presentiam & gratiam percipiens. Reple cor meum gaudio Spiritus tui sancti, & os meum gaudii illius celestis exuberantiam profundet, & de eo, quod in corde sensero, exsultabunt ossa a te primum humiliata, postea vero exaltata. In te Deo cor meum gaudeat, quod tu sis Dominus Deus meus, rideat os meum, quod ego sim filius tuus ad pacis visionem electus. Gaudebo, & intra me sancte ridebo, quia credo me visurum bona Domini in terra viventium, teque me potaturum, de torrente voluptatum tuarum, ac domus tue ubertate inebriaturum, ut te celebrem in secula seculorum,
Amen.





DE

HOMINIS SPI-
RITVALIS SENSIBVS
exterioribus sanctificatis, in
genere.

CAPVT XVII.

Transitio

Dhuc fuerunt Animæ
regenitæ facultates pro-
pria: sequuntur com-
munes aliis viuentibus,
eæque aut solis Animalibus brutis,
aut etiam Plantis, sed suam fortitæ
interim præcellentiam.

Brutis tantum animalibus com-
munis facultas animæ est SENTI-
ENS: eaq; rursus est APPREHEN-
DENS vel MOVENS.

Apprehendens dicitur SENSVS,
cuius viribus obiectum sensibile per-
cipimus & comprehendimus.

SEN-

SENSVS sanctitas est, qua ipse a prauitate & vanitate revocatus, ipiritu continentiae sensibile licitū sancte percipere, & apprehendere iatagit.

Sensus
sanctitas
quis.

i. Cor. 14. *Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia estote paruuli, sensibus autem perfecti estote.* Vetus ita habet versio.

Sensus vero est Exterior, aut Interior.

Sanctificatus Sensus Exterior, sanctas vires suas exercet, per organa corporis externa prudenter & continenter viurpata in percipiendis obiectis licitis, extra nos politis.

Sensus
sanctificatus
quis.

Sensus Exterior est Nobilior, vel Ignobilior: Nobilior duplex, Ignobilior triplex, adeoque sunt quinque externi sensus.

Hi sensus omnes a lapsu primi nostri parentis, sunt valde immutati & peruersi, vt, qui nobis ad id a Deo concessi fuerant, vt iporum adminiculo condito em nostrum, & facilius agnoscere, & perfectius

amare, eiq; melius seruire possemus, nunc vice versa negotium faceffant, pelliceantq; in contrarium. Adeo vt rarissime peccet homo, aut Deū in aliquo offendat, quin sensuum quispiam, vel etiam plures in culpa esse, & prima quasi peccati occasio, deprehendantur.

Ioan. 5.

Hinc nonnulli ex veteribus quinque hos sensus, *quinque probaticæ piscine porticibus*, in quibus omne genus languidorum iacebat, compararint.

Quisq; enim aliquo peccati morbo corrept⁹ est, in aliqua harum porticuū, vel visus, vel auditus, vel tact⁹, vel ceterarum aliqua reperietur.

Quinq; sunt item *porta ciuitatis nostre*, quam a Deo custodiendam regendamque accepimus: quacunq; illarum hostis ingressus fuerit, aetum est, animam trucidat & spoliat ciuitatem.

Luc. 14.

Sunt & *iuga boum quinq;*, q̄ iterū iterumque probandi sunt, & nunquam dicunt, *Sufficit*: adeoque quam plu

rimos occupant & distinent, vt horum occasione & prætextu se a cœna, cœlestibusq; nuptiis excusent.

Elegit sibi Dauid *quinq; limpidissimos lapides* de torrente, quibus superbum blasphemumq; gigantem erat prostraturus: *Nostra enim caro* (aiūt veteres) *tanquam proteruus Goliath, nos per quinq; sensus mirifice fatigat.* Christus vero, verus Dauid, quinq; præcipua vulnera in corpus suum admisit, per quinque hæc vulnera Diaboli caput comminutum, viresq; attritæ, & nos corroborati, quinque sensus nostros ab omni offensione conseruare, illisque ad Dei gloriam & nostram salutem recte vti valemus. Adeo vt si quãdo illi insurgant, ad peccatum conentur illicere, mortēq; animæ nostræ, hoste intro-misso moliantur, atq; omnia ad suã voluptatem aperta perfidia pertrahere præsumant: tunc tanquam veri Iosue Christi Iesu discipuli & fratres, quinq; hos sensus, vt rebelles reges

x. Reg. 17.

Ios. 10.

in speluncas suas se abdere compellamus, terga vertere, se continere, & a cœpto desistere. Sic Iosua victore quinque reges fugientes se in spelunca abscondebant, quod cum ei nunciaretur ait: *voluite saxa ingentia ad os spelunca, & ponite viros industrios, qui clausos custodiant.*

ABNEGANDI nobis sunt sensus nostri, a carnis seruitute sunt reuocandi, ex diaboli nexibus expediendi, vt discamus iis vti omnibus sancte, ad Dei gloriam, ad nostram salutem, & prouehendam proximorum salutem. Conuertendi sunt ad vsum sanctum, auersi & abstracti a mundi huius vanis voluptatibus, & oblectationibus.

AUGUSTINVS LIBRO
50 homil. homil. 35. ad hominem.

SI virginitatem anime seruare desideras, quantum potes observa blandimenta Draconis: ne forte si incautus fueris, quinq; sensus, qui

in

in te sunt, quasi quinq³ virgines permittas a serpente corrumpi. Quicquid enim pulcrescit visu, quicquid dulcescit gustu, quicquid blanditur auditu, quicquid lenocinatur odoratu, quicquid mollescit attactu, in his omnibus, si incauti fuerimus, surrepentibus concupiscentiis malis, anima virginitatem corrumpi permittimus, & impletur illud, quod per prophetam dictum est: Intrauit mors per fenestras vestras.

Ier. 9.

O homo, habet nostra piscina quinq³ sensus, ut porticus quinq³, in quibus iacet omnis multitudo languentium peccatorum. Habet e contra salutaris nostri redemptoris Iesu piscina, eminentes porticus quinque, hoc est, quinq³ precipua vulnera ad nostram salutem.

Hic omnes nostrorum quinq³ sensuum infirmos, cæcos, claudos, aridos, & quotquot peccatis obstricti sunt deponamus. Aquæ motæ sunt, nihil est, quod Angelum aliquem exspectemus: Omni tempore feruet admirandæ huius piscinæ salubritas. In hanc sensus nostros totos demergamus, ut illis iam sanis receptis, ita ad nostram salutem, eiusq³, qui illos nobis dedit, deinceps utamur gloriam, ut, ubi redierit, rationem nobiscum initurus, dicere ei possimus: Domine, quinque

Matt. 25.

talenta tradidisti mihi, ecce, alia
quinque superlucratus
sum.

ORATIO AD DEVM.

QUinq; mei sensus, o Domine Deus, quos in salutis meae subsidium mihi contulisti, magno meo malo, infidi mihi rebellant, & incertam, si sequar, perniciem me abducunt. Proh dolor, sensibus, quibus me ad te perducere oportet, iis magis a te abducor. Rebus potissimum illi vanis & caducis occupantur, suamq; in creaturis capiunt oblectationem, neq; in te rerum omnium opificem tendunt. O Deus, spiritu tuo bono illos, quaeso, reforma, ut sensibus meis nihil aliud sentire expetam, quam tuam gloriam, meam & aliorum salutem, illis tibi placere, seruire, & obsequi, salutiq; tum meae, tum proximi consulere satagam. Adeoq; nihil sit in sensibus meis, quod non te Deum meum spiraret, sapiat & redoleat, Amen.

D E

SANCTITATE
VISVS.

CAPVT XIIX.



Nobiliore sensus externi sunt VISVS & AUDITVS.

VISVS sanctitas, est

qua

Visus
sanctus: quid.

qua spiritu Dei sanctificata & gubernata videndi potentia auertit oculos ne videant vanitatem, & sancte contemplans visibilia huius mundi, mirabilium creaturarum & operũ Dei contemplatione & consideratione, permouet nos ad maiorem sapientiæ, bonitatis, potentiæq; diuinæ admirationem, & ita vicissim ad maiorem nostri confusionẽ, humilitatem, debitamq; submissionẽ, ad abundantiores eius laudem, ad gratitudinem erga illum, & dilectionem in nobis excitandam. Sic itaque fit, vt in creaturis videamus & celebremus creatorem, & Deum simul in nobis videndo eius opera videamus & persentiscamus.

Adeoque ita externo visu sancte videndo fiet, vt hic Deum Deiq; filium videamus, in filio patrem, & sic regnum Dei ex Deo nati videamus, postque luctam cum Iacobo videamus Dominum, & saluabitur anima nostra.

Visuri
Deum
qui sint.

Post hanc vitam mortem non videbimus in æternum, sed vitam: videbimus Deum sicuti est, a facie ad faciem. At necesse est, *ut dixi*, nos hic prius Deum videre, & filium Dei, quem si videre volumus, oportet nos expurgemus, sicuti ipse mundus & purus est, simusq; nos mundi corde. Hi siquidem videbunt Deum.

Exhortatio ad Hominem.

Vide, homo, quam multa horrenda & tristia oculis, tua causa, haurire dignatus sit Christus filius Dei, & in visu multa pati, tandemq; innocua illa lumina, in qua angeli conspiciere desiderant, fœde obligari passus sit. His contra indebitum visus nostri usum toleraris, rectum eius docens usum, sæpissime in vita sua, oculos in cœlum sustulit, ut nos sursum, dum vivimus, aspiciendo, cum imitati, etiam in morte oculos secure demittendo, & in pace quiescendo, eundem imitemur.

O homo, Iesum tuum sequere, & abnega visum carnis tuæ, auerte oculos, ne videant vanitatem huius seculi, pange fœdus cum iis, ne vanam

re-

recipiant speciem, ne ingrediens mentem vana cogitatio, anime officiat puritati. Clausas oportet teneas has fenestras, ne quis noxius penetret aer.

Quorsum datus visus? non equidem, ut sit irritamentum malorum & dux scelerum: sed ut gloria diuina, & salutis humane sit admirabile subsidium. Vt te ipsum semper, inquit Bernhardus, aspicias, ab omnibus oculos auerte. Quo quis enim est alienorum appetentior, eo magis sua interna negligit. Ne sint oculi tui quasi pradones, cor omni deuotione despoliantes. Oculus meus, inquit Propheta Thren. 3. depraedatus est animam meam. Nota illud Cassiani consilium: Vt certa aegritudine laborantibus utile est, ut cibi noxii, ne oculorum quidem obtutibus offerantur, ne quod aspectus occasione desiderium eis lethale gignatur: ita plurimum prodest ad morbos animi pellendos continere oculos, & fugere peccandi occasiones. Sequitur optimum optimi Augustini exemplum: Resisto, inquit, seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, domine, quibus ingredior viam tuam, & erigo ad te inuisibiles oculos, ut tu euellias de laqueo pedes meos. Tu subinde euellis eos, nam illaqueantur, tu non cessas euellere. Ego autem crebro hareo, ubi ne sparsis insidiis, quoniam non dormies, neq; dormitabis, qui custodis Israel.

Oratio ad Deum.

HEn, Domine exercituum, sanctissime Deus, quo me sapicula auocat, visus? quantopere curiositatis vitio multa videndi distrahor! Totus inconstans per omnia visu peruagor: atq; hoc ipso plurimas mihi tum vanitates, tum tentationes ipse fabrico: ita ut nec puras offerre preces, nec pie meditationi recte vacare queam. Auerte, obsecro, Deus, oculos meos, ne videant vanitatem & gratiam tue sanctificationis visu meo affunde, ut possim moderari eius facultatem, quo tanto studiosius atq; attentius meipsum, & quae ad me, meos lapsus, meam salutem pertinent, considerem & contempler, minusq; alienis occuper. O anima mea sponse speciosissime Iesu, expedi hinc tandem miseram animam meam, quandoquidem id tum illius pulcritudinem, tum tui vehementer impedit amorem. Expurga ab impura rerum mundanarum appetitione oculos mentis meae, adeoq; tu me inflamma amore, ut te sponsum & redemptorem meum unice videre desiderem, te iugiter corde, animo, & memoria mea complectar, alia terrena, velut vile stercus preteream & contemnam, teq; Deum meum a facie ad faciem cum gaudio videam in secula seculorum,

Amen.



DE

DE

SANCTIFICA- TO HOMINIS SPIRITV- alis auditu.

CAPVT XIX.

AUDITVS sanctificatus est, qui profligato vana audiendi desiderio malis clausus, digito Christi sanctis & homini vtilib⁹ cognoscēdis est patefact⁹, Deo, Dei verbis, & viris pii ac honestis aures prebet patulas.

*Auditus
sanctifi-
catus
quid.*

Matth. 8. *Qui habet aures ad audiendum, audiat.* Eccles. 28. *Sepi aures tuas spinis, & linguam, noli audire.* Ies. 35. *Deus ipse veniet & saluabit vos, & aperientur oculi cæcorum, auresq₃ surdorum patebunt.* Proverb. 20. *Oculum videntem & aurem audientem, Dominus fecit utrumq₃.* Ioan. 6. *Omnis, qui audit a patre, & didicit, venit ad me.* Ies. 50. *Dominus erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiā quasi magistrum, Dominus Deus aperuit mihi aurē, Ego autē non contradixi, retrorsum nō abii.* Prouer. 2. & 4. *Si susceperis sermones meos, & audiat sapientiam auris tua, inclina cor tuū ad cognoscendā prudentiam. Fili mi, ausculta sermones meos, & ad eloquia mea, inclina aurem tuam, & c.*

*Auditus
quomodo
in sancto
Dei ver-
bo audiē-
do verje-
tur.*

Auditus hic sanctificatus in san-
cto audiendo Dei verbo ita verfa-
tur, vt attenda sit eius auditio, vt so-
lida sit auditorum perceptio, & co-
gnitio: vt recta cordis erga cognita
& percepta sequatur affectio: & non
defit serium propositum sanctę obe-
dientię in tota vita, adeo vt ipsum
Deum, intus homo sibi loquentem
agnoscat, fidemque viuam ex audi-
tu illo percipiat: ac dicat cum Sa-
muele Paero: *Loquere Domine, quia
audit seruus tuus.*

Sanctificatus vbi est auditus, non
vrit illum aliena, nouaque cogno-
scendi ac audiendi libido, ibi, in-
quam, non est, omnia percipiendi
noua curiositas, & vana audiendi
pruritus: custodia ibi adhibetur au-
ribus, vt quę ostia sunt, per quę in-
numera in animam mala deportan-
tur.

Nouit homo circumcisis auribus
frustra claudi portas ciuitatis, si vna
relinquatur aperta, per quam hostes

ir-

irrum pant, ita non satis esse, in ceteris temperatum esse, si auditus pateat perniciosis sermonibus. Vt enim diligentius seruanda est ea porta, qua fit via ad regiam: Ita cautius seruandus auditus, quod maxime fit cum rationali animi parte coniunctus, & quod per eum admittitur, maxime potest vel iuuare, vel lædere.

Cogitat homo nouus, multa in auditu passum Christum: tot agnomina, irrisiones, calumnias, ac innumeras truculentarum vocum inclamationes, quæ aures eius purissimas dire flagellabant: orat itaque vt digitum suum dextrum a uribus suis inferat, easque sanet.

Quod si ibi fuerit, vbi vana, aut inconuenientia effatiuntur, si potest, discedit ne audiat: aut si ea præditus est gratia, admonet loquaces, vt a sua tibi vanitate temperent: aut si id facere veretur, quod pro com-

perito habeat, se id egerrime laturos,
pia aliqua cogitatione ad Deum se
conuertit, & se velut sardum gerit,
nihil eorum auscultans.

Exhortatio ad Hominem.

TOties, o homo, auditu ipso in mortem præ-
cepseris, & quamlibet per illum multa ac-
ceperis damna, semper tamen eadem perniciose
percipiendi curiositate & appetitu vreris. Pue-
rorum es similis, qui dum aliquo pro re necessa-
ria expedienda pergunt, vel ire iubentur, si qua
aliter noua, aut peregrina conspiciant, illico oc-
currunt, ibiq; morantur, obliti penitus negotii si-
bi delegati, aut illo certe posthabito. Sic & tibi se-
pissime usu venit, ut posteaquam tecum consti-
tueris Deo tuo pro viribus seruire & obsequi, si
qua res sensibus plausibilis sese offerat, illa te ani-
mumq; tuum occupat, & ita aut sigis gradum,
aut plane a proposito resilis. Crede mihi, homo,
qui auribus suis non adhibet curam, sed omnia li-
benter inaudit, sepius medicina loco virus hau-
rit, propriamq; vel salutem, vel damnationem in
alieno collocat ore. Si qualibet audiendi deside-
rio aestuas, totus in anima obsurdescis, ita ut nec
audire nec intelligere possis ea, quæ ad salutem
pertinent. Cum nec conscientie tuæ stimulos, nec
Dominum te per verbum suum obiurgantem,

per-

percipias, eo quod totum te terrenis dederis rebus: quo fit tandem, ut tremenda Dei iudicia nihil horreas. Anima surditate nihil periculosius, quippe, quæ iter præcludit, quo in nos divina descendere solet gratia. Dic potius cum Samuele puero: loquere Domine, quia audit seruus tuus. Expergiscere, ansculta vocem Domini Dei, ne obtura aures, ne obdura cor tuum, profliga inde vana audiendi desideria, & animaduerte, quæ mala tibi pariat qualibet audiendi inanis curiositas. Hac boni tibi præcludis viam, Christum tuo excludis corde, regno te Dei exterminas, & certe restaris te neq; nosse te ipsum, neq; tuam tibi salutem magnopere curæ esse. Reuoca auditum ad sanctum usum.

PRECATIO AD DEVM.

Organum auditus magnæ estimationis, per quod fides & salus infunditur. Eheu, auditus meus, mi Deus, quam per pestilentem illi serpentis anhelitum mendacia nobis suggerentis, est deprauatus! Ex eo tempore sagaces ad malum audiendum retinendumq; facti sumus, & surdi ad bonum. Non habemus aures ad audiendum, quia obaudire nescimus. Omnes prohi dolor, in aures nostras cum Hebrais mulieribus in usum Diaboli contulimus: diabolo, quam Deo potius aures aperientes. Hinc etiam fit, ut dum a te, Deus, corripimur, cum Adamo latebras quæra-

mus, & ficulneis nos foliis obumbremus. Tu Iesu fili Dei, digitum tuum dexterum auribus meis insere, easq; sana. Imo, quoniam dextram cum Malcho auriculam amisi miser, seruata sinistra ad malum patula, oro te, ut amissam mihi de nouo restituas, & in me exstinguas externa quæuis atque peregrina audiendi curiositatem, ne posthac ipse me præpediam, quo minus tuam agnoscam & percipiam vocem, sed potius ut oculus tibi dedita voci tuæ intenta te sequar pastorem meum in via salutis. Amen.



DE

RENOVATO

GVSTV HOMINIS

Spiritualis.

CAPVT XX.

Ignobiliore externi
tensus feruntur GV-
STVS, ODORATVS &
TACTVS.

GVSTVS sanctificati hominis
renouatus est, qui ab intemperan-

*Gustus
sancti ho-
minis re-
nouatus
quid.*

tiæ

tiæ vanitate carnis illecebras pro-
uocante, ad sanctum Christianæ tē-
perantiæ in percipiendis saporibus
vsum reuocatur, ne homo gustet
mortem, sed os internum cum sali-
ua gratiæ & sapientiæ & neruis ca-
ritatis rerum diuinarum dulcedinē
percipiat, adeoque gustet & videat,
quam suavis sit Dominus, & in has
voces cum Dauide prorumpat Psal.

119. *Quam dulcia faucibus meis eloquia
tua? super mel ori meo.*

I. Hic itaque arcenda est Intempe-
rantia vanitas, & accersenda in mo-
derando gustu temperantiæ sancti-
tas. **GULA** cum primis abneganda
homini. *Si Gula*, inquit, ex antiquis
non nemo, *quæ prauarum omnium affe-
ctionum & cupiditatum mater est, deside-
rium ac voluptatem compescere poteris,
facile animæ puritatem adipisceris, nec ab
aliis facile vitiis aliquid patieris impedi-
menti. Sin vero gula te superior euaserit,
multis semper periculis obnoxius eris, quā-
do quidem ea corpus ad torporem & libidi-*

K

nem concitat, animam aggrauat, intellectum ac memoriam debilitat, spiritum ad cogitanda terrena irritat, quem non nisi caelestia meditari oportebat.

Videte & caute, inquit Dominus, ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate & curis huius vitae. Luc. 21. Impossibile est, inquit Hieron. simul & cibi & potus voluptate implere ventrem, & devotione gustuq; spirituali explere mentem. Tantū itaq; gustemus cibi, quo nec grauetur corpus, nec libertas cordis impediatur: Corpus enim & anima diuersis nutriuntur cibis. Nunquam, ait alius, a Pharaonis indigna liberaberis seruitute, neq; caeleste pascha celebrabis, nisi amaritudines & alyma comederis, i. e. nisi prius abstinentia in te corporis mortificaueris voluptates. Nemo igitur imponi sibi sinat, ait Apostolus: Quod enim seminauerit homo, hoc & metet. Qui seminat in carne, de carne metet corruptione. Homo spiritualis dicit cū Christo: Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei. Hic etiā nos admonet: Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam.

Gal. 6.

Ioan. 4.

Ioan. 6.

II. Purgato ita per temperantiam gustatu exteriori, homo internus guttare ore & palato cordis sui, salua gratiæ & sapientiæ, cœpit saporem

salu-

salutis æternæ, & dulcedinem DEI
 seruatoris sui. Spiritus sancti suauitatem,
 qui gustauit, lac spirituale concupiscit,
 & voluptates, quæ ex mundanis capiuntur
 rebus, tanquã inanes & amaras respuit.
 Hic, quia cum Christo resurrexit, quæ sursum
 sunt, sapit & quærit, nec fluxis capitur
 gaudiis. Petenti, cur homines non gustent
 res spirituales, responsum est, ex eo hoc fieri,
 quod interiorem peccati sensum non amiserint.
 Si homo per resipiscentiam omnem peccati
 gustum & delectationem remoueret, procul
 dubio rerum spiritualium suauitatem fide
 persentiisceret.

Cautio ad tentatum.

MOnuerim hominem nouum, ne, dum
 gustu spirituali aliquando carere se sentit,
 se a DEO prorsus abiectum esse putet,
 ac proinde a via spiritus recedat. Tum quia
 vitæ spiritualis certitudo nõ est in isto gustu

spiritus continuo sita, tum etiam, quia sicuti illa suauitas interdum humiles recreat, ita minus cauis nonnunquam obest, sæpe etiã prodest infirmitatis gustus, ne ob reuelationes diuinæ gratiæ caro in nobis extollatur.

Exhortatio ad Hominem.

O Homo, gustus etiam noster in Adamo & Eva est corruptus. Saporem boni perdidimus ab ipso pene exortu generis nostri. Et interim palati semper vitio laborauimus, male discernentes in cibis spiritualibus & corporalibus gustu abutentes. Sicut enim in his nihil fere placet, quã quod sensus titillet: ita & in illis non salutaria, sed suauia & cupita delectant. Hinc accidit ut mortem, quæ in olla carnis huius est, non gustemus nec euitemus. Ah quoties, homo, mortem animæ per gulam deglutis, & non nisi sero sapis, sentisq; quid plenis faucibus hauseris. Frange itaq; gulam per abstinentiam, sed abstinentiã ciborum carnem titillantium non habebis, nisi mentem tuam spiritualibus repleueris epulis: carnem extenuas, si amore cœlestium cor inflammas. Abnegabis gustus & palati tui voluptates, si pie pensitaueris ipsi pendenti pro te in cruce datum esse vinum cum felle mixtum, & sitientis ori oblãtam spongiam aceto plenam. Reuoca ad sanctum usum gustum tuum, & mortem non gustabis in æternum.

ORA-

ORATIO AD DEVM.

Miserrimus ego peccator, pater misericors, scio Christum filium tuum pro me perduto amarum passionis bibisse calicem, vino myrrhato cum felle mixto atq; acetopotatum, & quidem in ardentissima siti, extremog; vitæ spiritu: ego vero carnis meæ desideria sequens, eius deliciis inhio, suauia gustatu appeto, delicato uti cibo & potu gestio, quibus plus onero corpus meum, quam vel necessitas poscat, vel utilitas, atq; ita animi & corporis morbis materiam subministro. Oro te, Deus, libera me ab hac pessima belua, quæ me perpetuo ad terram deprimit, spiritus me priuat, gustu, anima inficit & destruit puritatem. Concede mihi spiritualium rerum veram esuriem, & cœlestium bonorum gustum suauem, ut recordans absynthii & fellis Domini mei Iesu cibum & potum meum amaritudine passionis eius temperem, saporem gratissimum, in spiritali ponam edulio, adeoq; degustem suauitatem eloquiorum tui oris, & salutarem corporis & sanguinis filii tui fide manducati & bibiti dulcedinem percipiam in Spiritu sancto ad vitam eternam,

Amen.





DE

ODORATV ET TACTV SPIRITVALIS hominis.

CAPVT XXI.

*Odoratus
sanctifica
tus quid.
1.*



Odoratus sanctificatus o-
dores & foetores sancte
percipit, dum se curio-
sis, suaucolentibus & de-
licatis odoramentis non inaniter
oblectat, nec illis in vanitate gloria-
tur: nec foetent ac sordent ei pau-
peres ac ægri, eorumque domicilia;
sed bene & male olentibus sancte af-
ficitur, vt homo currat ad percipi-
endum odorem Iesu Christi, capi-
at gratiam cœlestis vnguenti, & o-
dorem vitæ æternæ, & vicissim a se
Christianarum virtutum bonã fra-
grantiam diffundat.

Odo-

O
facu
dis
dor
hor
exe
vita
mal
pra
oru
vit
cie
E
O
ena
cer
fide
pze
Exc
qu
hab
nes
vern

Odorandi renouata & spirituali facultate homo nouus consuescit discernere inter bonos & malos odores, vt bonos odores, id est, piæ & honestæ vitæ famam, & aliorum exempla olfaciat, quibus odoribus vita hominis spiritualis reficiatur: malos vero, id est, impias & corruptas vitæ rationes, & infamiam aliorum, tanquam male olentem & vitam spiritus perturbantem & insufficientem euitet.

Exhortatio ad Hominem.

O factum tibi opifex, Optimus Maximus DEVS, concessit homo, ad odores percipiendos & discernendos, sancte fac eo utaris. Nam certū putatur, eos, qui hic semp bene redolere desiderat, a morte tetrius olituros, & in inferno, nisi pœnitentiam egerint, arsueros vehementius. Exemplo tibi sit solus Antiochus, qui, postquam nimis accuratam sui in omnibus curam habuerat, nihilque, quod ad mundi oblectationes faceret, in se desiderari passus esset, nō tantū a vermib. viuus cōsumtus est, sed tanta fuit fœtoris

ipsius intolerantia, ut non solum exercitus totus illo gravaretur, sed nec ipse eum in se ferre ultra posset.

Quid nisi foetor homo est? foetores inter in aluo
 Gignitur & latitat, tener e foetore fauisse
 Eruitur foetens: totius tempore vitæ
 Sese intra foetet, foetores eiicit ex se.
 Corpus inane anima tandem foetore maligno
 A se abigit cunctos, & cum foetore sepulcro
 Foetenti infertur. Quæso unde superbia tanta
 Nos inflat, tanto cur cum torpore geluq;
 Sacrifici Christi tam suave fragrantis odorem,
 Coelestem & patriam expertem foetoris avemus?

ORATIO AD DEVM.

Medice anima mea Iesu Christe, in odoratu
 etiam pati voluisti praesertim in monte Cal-
 uaria, ut nobis magis cordi & cura esset bonus
 odor virtutum coram te Domino, quam fragran-
 tia vestium rerumq; aliarum mundanarum.
 Spiritum gratiae tuae effunde super me, ut cur-
 ram ad odorem unguentorum tuorum percipi-
 endum, mihiq; sit euangelium tuum odor vitae ad
 vitam, utq; me odore suauitatis tuae refectum
 offeram tibi in hostiam bonae fragrantiae. Da
 Iesu, ut bonos virtutum sanctarum odores at-
 raham, eosdemq; tanquam bonus tuus odor, ef-
 fundendo bonorum operum, & bonae famaodo-
 rem,

rem,

rem, ubiq; redoleam: ne male agendo aliquo fœ-
tore proximi & Dei mei, nares offendam: pro-
pter passionem & mortem tuam, Amen.

II. TACTVS sanctificati hominis
licitas qualitates tactiles pure attre-
ctando apprehendit, dum carnalem
eius vanitatem castigans ac retre-
nans, in sancto se vsu tangendorum
continet.

Homo itaque spiritualis ad veti-
tum lignum manus suas extendere
reformidat, ne fœda animi labe,
peccato scilicet iterum corrumpa-
tur. Tactu non abutitur ad impudi-
citiã & libidinem, ad iniustitiam
rem alienam furto aut vi tollendo,
ad percussionem, & quamcunque
eiusmodi iniuriam; addo, ad vesti-
um nimiam mollitiem; sed dat ope-
ram, vt attrectabilia sancte tangen-
do, manu fidei Iesum Christum at-
trectet, & apprehendat omnia eius
sibi parta bona. Hic beatitudinis
perennis bona spiritualia cogitan-
do attingit, nihilque non agit, vt ea

Tactus
sanctifica-
tus quid.

consequatur, & ab illorum impetra-
tione nulla ratione retrahi se pati-
tur.


Exhortatio ad Hominem.

Quam frequenter, o homo, & quam multi-
plici modo nos tactu foedauerimus, quotidi-
eque nos hoc sensu inquinemus, abunde nobis fre-
que tes ille veteris testamenti lotiones, & iterata
toties baptismata demonstrarunt: ut enim mille
modis statim immundi censebantur, ita multo-
ties iis & corpora, & vestes, & vasa mundana
erant. Hinc non inepte toties in anima macula-
ri estimaris, quoties peccas, quia peccatum est
foeda illa animi labes, quam quasi ex attactu rei
vetita peccando contrahis. Sicut, qui carbones
vel picem tetigerit. Ne itaq; imposterum exten-
de manum, ad lignum vetitum. Si enim se-
cundum carnem vixeris, morieris. Ne contin-
ge, quid immundum & morticinum, aut pollu-
tum: ne ad vesperam usque immundus euadas,
& quæ tetigeris, & a quibus tactus fueris, im-
mundus efficiaris. Hoc facies, si, nec ipse pec-
cabis, nec aliorum peccatis aliqua ratione con-
sentias. Abstineas a tactu picis, ne a rebus his-
ce terrenis inquineris. Ne tange experiundi
caussa peccata: Sub omnem lapidem scorpium,
o homo subrepat, caue ne feriat, id enim, quod

in tenebris latitat, dolo saepe non caret. Cane deniq, ne tangas pupillam oculi Dei & Christos eius, ne vicissim te feriat manus Dei.

Oratio ad DEVM.

TActu, o Deus, miseri contraximus labem scelerum multiplicem, at multiplici remedio sensus huius offensiones & peccata, Christus filius tuus, saluator noster curare voluit. In omnibus enim corporis sui membris singularem quandam sustinuit pœnam. Solatur itaque nos impuros vehemens illa totius corporis in ingressu horti concussio, agonia sudorem undiq, exprimens sanguineum, dura apprehensio, ligatio, vellicatio, percussio maxilla, & colaphi, cõspuatio, flagellatio, coronatio, portatio crucis, crucifixio, lateris perfossio. Fac, o Deus, manibus fidei tangamus & apprehendamus Iesum Christum pro peccatis nostris crucifixum, ut ipsius sanguis nos emundet ab omni sorde peccatorum, purget ipse conscientias a mortuis operibus, ad tibi vno Deo seruiendum in sanctitate & iustitia, ad nominis tui gloriam, Amen.





DE

SENSVVM IN-
TERIORVM SAN-
ctitate.

CAPVT XXII.

*Sensuum
interiorũ
sanctitas.*

SENSVVM interiorum
sanctitas consistit in in-
terna specierum & ima-
ginum per exteriores
sensuum delatarum sancta apprehen-
sione, pia agitatione, & utili con-
seruatione.

Homo igitur spiritualis imagines
a sensibus exterioribus menti obla-
tas, hac renouata facultate interius
sentiendi, sancte & voluntati diui-
næ conuenienter ad gloriam Dei, &
utilitatem humanam apprehendit
& discernit, componit & agit, cu-
stodit & repromit.

SEN-

SENSVS itaque COMMVNIS hominis regenti, cauens sibi ab inanum imaginum vanitate, sensuum exteriorum actiones sanctas percipit, easque pie, sapienterque apprehendit, prudenterque discernere satagit.

1.
Sensuum
communis.

VIS PHANTASTICA reformatata sibi temperans a vanitate noxiorum & illicitorum phantasmatum, a communi sensu pias & vtilis sibi delatas imagines, recte versat, agit, examinat, dextreque colligit, componit, diiudicat.

2.
Vis Phant.
astica.

Studet itaque homo spiritualis in exercitio vtriusque occupare mentem suam bonis & sanctis cogitationibus, ut a phantasmatum ineptorum liberetur irruentibus turbis. Refrenat sensus exteriores, ne species importent perniciosas. Remouet occasiones earum rerum, quæ huiusmodi imaginum plasmata fabricare solent. Legit verbum Dei & piorum scripta. Inuocat Dei ubi

que præientis auxilium: ex Psalmis
 orat: *O Domine iam ad adiuuandum me
 festina De profundis ad te clamo Domine,
 exaudi orationem meam. Cor mundum
 crea in me Deus, & spiritum rectum in-
 noua in visceribus meis. Spiritum sanctum
 tuum ne auferas a me. Domine respice me,
 & miserere mei. Mi Deus, mi Deus, ne de-
 relinquant me, ne te deserant. Adiuua me Do-
 mine Deus mi, ne discesseris a me. Intende
 in adiutorium meum, Domine Deus salu-
 tis meæ. Libera me ab inimicis meis, qui o-
 derunt me, & querunt malum animæ meæ.*

In mentem reuocat sibi Christum
 pro se passum, spinis coronatum,
 flagellatum, cruentatum, crucifi-
 xum, quasi dicentem sibi: *Vide, quan-
 ta passus sum pro te. Atque ita alio me-
 tem reflectit, aut aliud quippiam a-
 git, & ante omnia otium fugit.*

Exhortatio ad hominem.

O *Homo, exterius & interius oppugnaris, re-
 luctare maxime, internorum hostium spectris
 mentem tuam conturbantibus, expurga a vanitate*

sensum

sensum tuum communem, depelle ab officina phantasmatum inania malarum cogitationum, eidola. Admone securim ad radicem oblectationis, quæ ex horum spectrorum agitatione occipit voluntatem pellicere. Vide ne e tuo domicilio repellat Deum irruens turba variarum imaginum & cogitationum, quæ solent effluere tanquam vilis plebs in atrium, ponatur ad eius portam fanitor, scilicet recordatio tuæ vocationis ac professionis. & cum sese illis imaginibus senserit animus pregrauari, increpet se & dicat sibi ipse: Tunc hæc debes cogitare, qui Christianus es in nomen & numen Dei patris, filii & Spiritus sancti baptizatus? Caue, caue tibi a Diabolicis spectris & suggestionibus. Jam suscitatur in mente tua, rerum desideria, bone Deus, quam suauia eidola format! affectiones ad eas res irritat, a quibus nos iam abdicauimus. Terrorum spectra admouet, quibus concutit animum, aut certe difficultatem longi itineris, & arctæ viæ, quæ ducit ad salutem, proponit, ut terreat. Blandimenta ostentat, vel enim nobis in mentem reuocat antiquas & contemptas voluptatum imagines, vel nouarum delectationum speciebus animum detinet. Seductionum formas varias expedit, suadendo autem seducere conatur, ut a bono proposito tanquam in tempestiue, aut temere inuito declinemus, vel in manus bonum nostrum, conuertamus illud.

1.

2.

3.

4.

O homo, si suas cogitationes in tuum animum ingerere non potest, ipsas saltem, quæ bonæ sunt per se, imagines & cogitationes depravat, excitando in te, vel amorem tui nimium, quippe, qui is sis, qui constanter susceptas semel cogitationes, retineas, vel inanem gloriam, quod eadem tua cogitata sint præclara: & si hoc non potest, non tamen desistit, donec dederit turbas in mentis tuæ cogitationibus. Disce hæc & malo locum ne concede.

Oratio ad Deum.

DEus benedicte, pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis, respice me miserum, tot eidolis contaminatum, tot spectris animi agitatũ tot inaniũ & turpium imaginum turbis inuitũ, etiam medistrahentiũ, rapientium, & turbantiũ diuexatũ. Miserere mei, exturbare vanas cogitationũ omniũ species nõ possũ, adiua me Deus salutis meæ, ne labar, ne pereã. Custodi me Deus, ne offendam ad lapidem vanitatis huius pedem meum, da vires, ut super aspidem & basiliscum ambulem, leonem & draconem conculem, dilatagressus meos subtus me, ut non infirmentur, vestigia mea, præcinge me virtute tua ad prælium contra has turbas, ut supplantantes insurgentes in me subtus me. Ah Pater, hoc me si libera-

ueris

ueris malo, & cor mundum in me creaueris, ut omnē turpitudinis speciem odio prosequar, gaudebo in omni afflictione mea. Fac te timeam, & humilis tibi laudes decantem: fragilitatem & imbelles vires meās agnosco, me tua egere gratia satis superq; intelligo, quanto in periculo verser, scio. Corroborā me infirmū robore potentia tua, ut resistam diabolo, & omnibus eius malis suggestionibus, & in die malo victoriam reportem, ad pūdefaciendum Damonis artes & astutias, & ad exhilarandos custodes angelicos. Tu solus es protector & refugium meum, ne discesseris a me, ne discedam a te, Amen.

III. MEMORIA restat, quæ vere & sancte a sensu communi percepta & sapienter discretā, dextre & prudēter a sanctificata hominis phantasia cogitata, collata & æstimata, (si vtilia & salutaria sunt) fideliter conseruat & repromit.

Memoria.

Huius igitur sanctitas est vis rem bonam menti oblatam bene custodiendi, & eiusdem reminiscētia, Psal. 119. *In animo meo recondo sermonem tuum, ut non peccem in te.* Psal. 16. *Benedicam Iehouæ, qui consulit mihi, etiā*

L

*per noctes erudiantibus me venibus meis.
Luc. 2. Et mater omnia hæc conseruabat
in corde suo.*



D E

VIGILIA ET SOMNO HOMINIS sanctificati.

CAPVT XXIII.

VICTENS de sensibus,
quorum actus dicitur
VIGILIA, cessatio vero
SOMNVS.

*Vigilia
sanctifica
ta.*

VIGILIA ergo sanctificata est actus
sensuum spiritualis. Vt enim in na-
turali vigilia, diffusis per omnes fa-
cultates, neruos & organa spiriti-
bus, homo operationes suarum fa-
cultatum peragit: ita spiritualis vi-
gilia est vigor & operatio sensuum,
diffuso & efficaciter in nobis habi-

tan-

tante Dei spiritu, nempe, diligentia, sollicitudo, attentio, cura & prudentia in his, quæ ad vitam spiritualem pertinent.

Vnde vigilans homo spiritualis, est homo sanctus & prudens de sua salute sollicitus, qui intentione, & applicatione animi accuratissime, quæ ad salutem spectant, dum omnia membra, vires nimirum & facultates omnes ad agendum applicat, exsequitur.

Matth. 23. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem: ne scilicet otio languescentes occasionem tentationi detis, ne incidatis in manus tentatoris, qui, quos tentet, quærit, qui vigilantibus non multum nocere potest.* 1. Pet. 5. *Sobrii estote & vigilate: quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens, quem deuoret.* Ergo si inimicus vigilat, si ambit, si deuorare cupit, cur domus custos non excubabit? Ier. 5. *Cur sinet a rapacissimo fure domum suam perfodi? Si ignoramus, qua hora venire soleat, semper excubandum, semper vigilandum, ne si nos dormientes inuenerit, deuoret.* Luc. 9. *Vigilandum insuper est, ne repente Dominus rationem villicationis nostræ requisiturus, veniat.*

Hoc ipse nos docuit cum dixit: Estote vos parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Luc. 12. Nec quis dicat: moram faciet, nondum aderit: ac proinde edat ac bibat, & se inebriet, ceterosq; seruos percutiat: quia veniet, quando non sperat, & eum inter infideles ac reprobos collocabit. Et alibi: Si non vigilaueris veniam ad te, tanquam fur, & nescies, qua hora veniam ad te. Apoc. 3. O beatos seruos, quos, cum venerit Dominus, inueniet vigilantes. Præterea, vigilandum est propter spem præmii vigilantibus propositi. Luc. 12. Nam quem vigilantem Dominus inuenierit, eum super omnia, quæ possidet bona constituet, & præcinget se, & faciet illum discumbere, & transiens ministrabit ei. Quis ad tanti præmii promissionem non excitetur?

Vigilia
mundana
Prudētia
carnis.

Huic vigiliæ aduersatur vigilia illa mundana, quæ est nimia sollicitudo de rebus humanis, seu *Prudentia carnis* appellari potest. Ita vigilans in vanum vigilat, custodit, & ædificat. Naturale peruigilium oritur ex nimia siccitate, ex læsione cerebri, nimis curis, nimioque dolore, quæ quiescere non permittunt, & demum, ex ebrietate. Ita mala hæc vi-

gi-

gilia nascitur ex siccitate & siti auaritiæ. Nolite, inquit Christus, solliciti esse de crastino. Ex læsione cerebri seu rationis, quam, qui non habet integram, nunquam quiescit, nunquam spiritualem capit somnum. Ex nimis curis & molestiis mundanæ huius vitæ. Ex ebriitate prosperitatis & voluptatis, quæ non permittit spiritualem obrepere somnum. Et sicut vigilia illa, corporis vires debilitat, visum hebetat, caput grauat, corpus exsiccat: ita hæc vires animæ frangit, visum prudentiæ obfuscat, officinam rationis, dum variis curis replet, aggrauat, & humorem pietatis exsiccat. Nimiam ergo sollicitudinem vitemus, iactemus curam nostram in Dominum, qui pascit aues, quæ non seminant, qui vestit lilia, quæ non nent, & ab ipso enutriemur & vestiemur.

Exhortatio ad Hominem.

Beatissimus, qui vigilat, inquit Spiritus Apoc. 16.
Vigilate, stete in fide, viriliter agite, & con-

fortamini, inquit *Apostolus Domini*, 1. Cor. 6. *Vigila ergo, o homo, nescis enim, qua hora Dominus domus venturus sit, an media nocte, an in gallicinio, an mane, ne cum venerit repente, inueniat te dormientem. Mar. 13. Ipse enim nosti, quod dies Domini, furis instar nocturni, aduenturus sit, Cum enim proclamauerint pacem, & tranquillitatem, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor parturientis, & non effugient. Tu autem non amplius es in tenebris, ut te dies ille, tanquam fur comprehendat. Filius enim es lucis & filius Dei, non noctis, neque tenebrarum. Ergo ne dormias, sicut ceteri, sed vigila, & esto sobrius. 1. Thes. 5. Sustine & vigila in hac vita cum Christo, ut tandem cum illo post hanc vitam in caelestibus cubiculis letari & quiescere possis.*

Oratio ad DEVM.

Apo. 3.

Pro. 8.

*Eccles. 31.
32.*

Ps 140.

Domine Deus, creator & gubernator totius uniuersitatis, qui dixisti: Si non uigilaueris, ueniam ad te tanquam fur, & nescies, qua hora ueniam. *Vigilantie Christiane da mihi spiritum: & ero beatus: siquidem audiam te, & ad fores tuas quotidie uigilabo: tabefaciam carnem honestatis uigilia, & inueniam ita apud te benedictionem. Sustineat anima mea in uerbo tuo, speret anima mea in te Domino,*

acu-

a custodia matutina usq; ad mortem. Deus, Deus mi, ad te de luce vigilo, sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea, in terra deserta & aquosa. Anima mea desiderabit te de nocte, imo spiritu meo in precordiis meis mane ad te vigilabo. O me hominem beatum, si te Deum meum audiero, si vigilauero ad te quotidie, si pie obseruem ad postes ostii tui, inueniens te inueniam vitam, & salutem ex te hauriam. O Domine, fac me prudentem & vigilantem reddant uiuendi ratio sobria, hostis ambiens, & impendentis mali, adeoque poena & mortis aeternae metus, rationis reddenda sollicitudo, incertus venturi Domini aduentus, aeternae beatitudinis propositum premium, & deniq; dolores corporis, variaq; huius vitae sollicitudines, ut tecum gaudio aeterno perfruar in caelis per Iesum Christum, Amen.

SOMNVS vero sensuum & aliarum virium cessatio, quies, & quaedam resectio est ad salutis earum conseruationem.

Spiritualis hominis somnus & quasi quaedam quies exonerans dicitur rerum diuinarum contemplatio & oratio, sine qua diu ipse spiritualem agere vitam nequit.

Vt enim somnus animali est neces-

Psf. 63.

Ies. 24.

Prouer. 8.

Somnus
hominis
spiritua-
lis.

fari⁹ post labores, vt debilitatæ vires instaurentur, & his recreatis, rursus ad operandum reuertatur: ita per vitam actuosam viribus spiritus debilitatis, opus orationis & contemplationis somno, vt confirmatis viribus ad vitæ externæ vsum spiritua-lem maiore cum feruore homo reuertatur. Ita Christus post sanationes & conciones ad orationem & diuinorum meditationem solus secedebat, & hinc ad actionem reuertebatur.

II. Cum somnus subrepat, animal a motu locali cessat, operationes sensuum exteriorum impediuntur, calor ad interiores partes sese contrahit, ac intus fortius operatur: quo fit, vt corpus exterius quasi palle-
scat, animalque mortuum videatur. Sic vbi spiritualis mentem inuasit, intern⁹ homo ab omni humana cura cesset, nihil secundum carnis sensum operatur, amoris calorem ad partes intimas contrahit se, qui in-

tus

tus vehementius agit. Nam in pia diuinorum meditatione animus exardescit. Ideoque circa res externas frigescit, & in hominum carnalium conspectu pallidus mortuusque videtur, cum intus maxime vigeat.

III. Per somnum animalis vires instaurantur, spiritus recreantur, crudi humores concoquuntur, infirmus leuatur, abeuntis morbi indicium datur, ebrietas euanescit, & denique corpus, præcipue hyberno tempore pinguescit. Sic sancta contemplatione & oratione, spiritualis hominis vires etiam naturales, intellectus, voluntas, memoria, &c. corroborantur, spirituales spiritus instaurantur, indigestæ affectiones & cogitationes, acerbæque curæ concoquuntur, & ideo mens infirma leuatur, & melioris valetudinis spiritualis inde indicium sumitur, ebrietas rerum caducarum & voluptatum euaporat, & denique totum spirituale corpus, præcipue in

hyeme tribulationum pinguescit. IV. Somnus naturalis, ex vaporibus, ex corpore, & sumto alimento ascendentibus conciliatur: Ita oratio & pia contemplatio ex affectionibus a cibo doctrinae & verbi divini sumto nascentibus, & ex variis cogitationibus & gemitibus ad caput mentis & cerebrum rationis ascendentibus producitur.

V. Parentes summa cum voluptate liberos & puerulos suos dormientes & quiescentes cernunt, & ne a sensu excitentur curant: Cœlestis Pater, & Sponsus, animam somnum piæ contemplationis & orationis capientem cum voluptate cernit, & ne quis eam suscitaret, præcauens dicit: *Adiuro vos filia Ierusalem per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis nec euigilare faciatis dilectam, donec ipse velit.*

VI. Is qui suaviter dormiturus est, oculos claudit, humanas curas abicit; quoniam, qui variis curis sunt

di.

distracti, qui variis curis agitantur, quere dormire nequeunt. D. Bernhardus Deo supplicaturus, orationis locum ingrediens suis dicebat curis, vt extra manerent. *Multas curas, inquit sapiens, sequuntur multa somnia, & ubi sunt multa somnia, plurimæ sunt vanitates.* Item: *Saturitas diuitis nõ finit eum dormire.* Quare, si spiritualis homo suauiter cupit, palpebras claudat, curas abiiciat, & dicere poterit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Exhortatio ad Hominem.

Homo spiritualis es, Spiritualem itaq; cape somnum, pia meditatione cœlestia contemplare, & sancta oratione cœli pulsa fores. His sine diu Deo viuere non poteris. Si autem vis sine perturbatione dormire, necesse est, vt te tuis exuas vestibus, id est, ab omni carnali affectu te nudes, & ab omni immunda cogitatione te emundes, quia, qui cum vestibus in lecto cubat, minus quiescit. Conscende vero, o homo, spirituale lectũ, secretũ pectoris tuĩ, ipsam tuã conscientia. Gloria enim nostra hæc est, testimoniũ bonæ conscientie.

In hunc lectum, dum maledicorum calumniis, mundiq; furoribus, quasi quibusdam procellis agitaris, te veluti in portum quendam recipe, ibiq; testimonio bonae conscientiae delectationem & quietē cape. In hoc lecto, ubi ab humanis negotiis cessas, & tecum salutem tuam meditaris, recreaberis, In hoc lecto, exutis vestibus carnis, & lotis pedibus, carnalibusq; curis reiectis, orationis & contemplationis capesse somnum. Hic lectus per singulas noctes huius tenebrose vitae lacrymis spiritualibus lauatur. In hoc conscientiae cubili, si quid immundi inueneris, age penitentiam, & fide sanguinem Iesu mundantis nos ab omni peccato apprehēde. Letaberis in hoc lecto, si pie & caste vixeris, si tecū habitaueris, si te ipsum collegeris & regnū Dei intra te exstruxeris. Tristaberis vero, si in eo iniquitatē fueris meditatus. Vide ne paralyticus iaceas in grabbato voluptatum corporis, quia vacillantibus membris, nihil poteris operari. Audi potius Christum dicentem: Surge, tolle grabbatum tuum, & ambula.

Surge itaque a peccatis, ambula viam bonorum operum, recede a malo, & fac bonum, & suauiter quiesces.



ORA-

ORATIO AD DEVM.

Miser ego homo, malum in membris meis de-
prehendo somnum, somnum dico peccato-
rum, a quo nemo, nisi tu, Deus, me potes exsus-
citare & liberare. Scio iam horam esse, qua me
de somno vitiorum oporteat surgere, fac per te,
& in te exsurgam, alioqui in omni vita spiritua-
li inueneris me cœcum, surdum, mutum & clau-
dum. Excita me Deus & sanctifica, ne dormi-
am in morte, dum in peccatis conquiesco, dum
ad illa adhaeresco, dum ecstasi veluti quadam vi-
tiorum obruor, dum nihil boni ad tuam gloriam
facio. Libera me Deus ab hoc malo, & vere li-
beratus ac liber fuero. Discute, Deus, omnem in
me negligentia torporem, & fac, ut agam, quæ
tua sunt in tempore oportuno, ut desideris car-
nis torpeam, & tuis præceptis obediendo inuigi-
lem. Prohibe etiam, pater cœlestis, ne securus in
somno errorum obsopitus dormiam, quasi quo-
dam mentis stupore alienatus a vero. Insonet au-
ribus meis quotidie vox Apostolica: Surge, qui
dormis, & exsurge a mortuis, & illuminabit te
Christus. Hoc me illuminante te Deum meum,
mentis meæ oculis contemplantor, te adorabo in
templo tuo, quod inhabitas, & in lecto
quietis, bonæq; conscientia cubili
suauiter quiescam,
Amen.

D E

SPIRITVALIS

HOMINIS RESPIRA- tione & pulsu.

C A P V T XXIV.



AD HVC fuit animæ sen-
tientis facultas Appre-
hendens: lequitur MO-
VENS, cuius vi, vt homo
animalis $\psi\chi\iota\kappa\omega\varsigma$, ita spiritualis spiri-
tualiter mouetur.

Homo itaque spiritualis, vt san-
cte sentire, ita & sancte moueri de-
bet: & sanctum sensum lequitur *san-
ctus motus.*

Mouens hæc facultas duorum est
generum: Primi generis est RESPI-
RATRIX, & PULSATRIX VIS.

Illæ aer in corpore inspiratur, &
expiratur: hæc in canis membrum
cor & arteria dilatatur & contra-
hitur.

Vt

*Vis mo-
uens ani-
mæ.*

*Motus
sanctus.*

*Respira-
rix, Pul-
satrix.*

Vt autem in corpore animali respiratio fit per attractionem & expulsionem aeris : ita in homine spiritali aer quidam spiritalis, & Spiritus sancti, spiritus inspiratur & attrahitur; DIVINA scilicet GRATIA, & diuina quasi inspiratio & Consolatio : quæ tum attrahitur, cum os cordis & fidei aperitur, cum pie oratur, cum sancta desideria, ex Dei gratia nascentia, ad Deum exspirando quasi mittuntur, cum spiritus & afflatus diuinus per verbi Diuini ventilabrum, cordis, ore & affectu excipiuntur, quo spiritu præcordia hominis noui refrigerantur, reficiuntur, purgantur.

Spiritus item in homine sanctificatus est aereus, hoc est purus & celestis, toto corpore eius fusus, qui omnes facultates ad vn uersas operationes, (*cum sit varie distributus*) exercendas excitat & iuuat. Hic Spiritus DEI nobis inspiratus & tractus per Dei gratiam hic etiam

1.
Respiratio spiritalis quo modo fiat.

Spiritus sanctificatus qualiter

omnia in omnibus operatur, & replet omnia. Hunc spiritum attrahere cupit ecclesia canens:

*Veni pater pauperum, veni dator munerum,
Veni lumen cordium.*

*Consolator optime, dulcis hospes anima,
Dulce refrigerium.*

*In labore requies, in aestu temperies,
In fletu solatium. &c.*

Hinc in nobis *Visus fidei, odoratus spei, gustus caritatis, tactus misericordiae, auditus obedientiae, sensus bonae discretionis, motus sanctae operationis, sermo confessionis, & demum in ipso sancte vivimus, mouemur & sumus.*

II. Pulsus in corpore nostro, ut effectus est spiritus vitalis, motus videlicet quidam arteriarum ex cordis micatione & agitatione productus, quo fit; ut corporis & cordis affectio ex eo dignoscatur. Ita in homine spirituali, sancta vis pulsatrix spirituales creat pulsus, externos scilicet effectus, qui a cordis

*Pulsatrix
vis san-
cta quid
agat in
homine
spirituali.*

com-

comm
tatis d
ctione
H
mibi f
vt spir
ne affe
Christu
rum cog
nos fer
Pu
debili
Motu
ctorum
fortior
or cer
re aut

Q
re. Aperi
tate sanc
auria.

commotione, pro amoris seu charitatis dilatatione, timorisque contractione & compressione exoriuntur.

Hinc illud Iacobi cap. 2. *Ostende mihi fidem ex operibus tuis.* Vult enim vt spiritualis medicus à pulsus tactione affectionem cordis cognoscere. Christus ait. Matth. 7. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Bona enim arbor, bonos fert fructus.*

Pulsus vt naturalis est varius, alius debilis, alius fortis: Ita & spiritualis. Motus ille pulsabilis in arteriis sanctorum operum iam debilior, iam fortior, iam manifestior, iam occultior cernitur, pro fidei & cordis robore aut imbecillitate.

Ad hominem exhortatio.

Quisquis vitam Iesu vivis, homo regenerate, age, vitam Dei sancte respirando testare. Aperi primo os cordis tui, quo divina gratia te sanctificatis & vivificatis aerē & spiritū haurias. Exspira vicissim ex ore cordis apert

M

sanctæ & assidue orationis Spiritum & bonâ
 fragrantiam, animique tui desideria gemitu-
 bus pulsantibus cœlum ad Deum remitte. Vt
 vero animal non potest respirare si pulmo di-
 latari & constringi, vel ob nimiam siccita-
 tem, vel ob humorum, quibus comprimitur,
 abundantiam, nequeat: ita spiritualis tua
 respiratio auaritiæ & philantia vitio, quo pia
 affectio ad alios dilatari, aut ad se constringi
 nequit, ob nimiam siccitatem charitatis, vel
 abundantiam carnalium voluptatum impe-
 ditur. Hanc si sapias, & viuere vis, fugias: hoc
 pacto si affectus fueris, est tuum aperire, & spi-
 ritum attrahere non potes. Si non hoc, nec spi-
 ritus erit cordi tuo, quod contrahescet. Si item
 hoc, arterie spirituales pulsus cessabunt, &
 tandem coram Deo mortuus censeberis.

ORATIO AD DEVM.

Si uiuere tibi debeo, o uide Deus, aere &
 spiritu omnino mihi est opus: si vitam a-
 ctuosam demonstrare, vitæ vigentis actioni-
 bus & pulsibus ea arguitur, fructibus utique
 spiritus, qui in me uiuat, ipsam declarare de-
 beo. Non possum uiuere, moueri, esse nisi in te:
 Tu es vita nostra, & filius tuus uiuificat, &
 illuminat omnem hominem. Inspira aerem
 cœlestem, Spiritum gratiæ tuæ cordi meo, quo
 uiuam & respirem: Affla sensibus & anima

mea

mea viribus cunctis oris tui anhelitum, Spiritum intelligentia, quo sapiam, obedientia, quo velim, potentia quo possim. Ore meo in hio gratia tua, effunde aquam tuam, Spiritus tuus bonus vivificet me, fessum recreet, infirmum roboret. Atque ut alii me videant tibi vivere, & ipsi vitam tuam affectentur, concede cordi meo vivificandi fidei mea potentiam bene operandi, ut sit efficax per virtutem, & arteriis meis omnibus facultatem sancte pulsandi, & interiorum spiritum & fidem declarandi & dilatandi, ut homines videant fructus Spiritus tui, bona opera, & tu per me & in me perpetuo glorificeris. Amen.

D E

APPETITIO-
NUM ET INCLINATIO-
num seu concupiscentia
sanctitate.

CAPVT XXV.



SECUNDI generis Mo-
uens facultas *Interna* vel
Externa.

|Interna, ad obiecta
sensu cognita appetenda, quadam
incitat propensione. Vnde *Appeti-*

M 2

tiones & Affectiones. Deinde progressio hominis.

Appetitionum propensionem antecedit naturaliter *obiecti cognitio, & cogniti obiecti approbatio vel improbatio.* Harum vis magna prudentia, magnoque consilio coercenda & regenda est.

Appetitus sanctitas.

APPETITVS, inclinationis, & concupiscentiæ naturalis sanctitas est, in sancta eius moderatione, repressione, coercitione, & motione, quæ immensi laboris est.

Inclinationis sanctitas.

Etenim homo lapsus naturalem habet ad malum inclinationem, quã experti fatemur omnes, accusando nosmetipsos ad malum quam ad bonum propensiores.

Gen. 7. Cogitatio cordis humani ab adolescentia ad malum prona. Gen. 6. Figmentum cordis humani omne intentum est ad malum omni tempore. Ier. 17. Præuuum est cor omnium.

Appetitionis huius & inclinationis sunt incitamenta omnia, quæ in-

surgunt

furgu
con
clin
Nove
in ip
peccat
neo fu
Quod
Facit
do n
volo,
vultu
motu
quod
broru
legir
in leg
la de
libera
Hu
culiare
natio
diuidu
tution
que, ea

furgunt in homine ad vitia. Paulo conquerente, concupiscentia & inclinatio hæc, sedem habet in carne: *Non est, inquit, in carne mea bonum. Immo in ipso homine. Quod habitat, ait, in me peccatum.* Preuenit aliquando subitaneo suo motu, Spiritum hominis, *Quod enim, inquit, operor, non intelligo.* Facit, vt non comprimatur aliquando motus malus: *Non enim, quod volo, hoc ago.* Et alibi: *Vt non quæcunque vultis faciatis.* Efficit, vt insurgat ille motus, quem minime vellemus: *Sed quod odi ait, malum, illud facio.* Lex membrorum appellatur, quæ repugnat legi mentis, & captiuat hominem in legem peccati. Hinc infelicitas illa de qua ipse. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.*

Huc accedit, quod in homine peculiare quædam offendantur inclinationes, quæ sequuntur naturam indiuidui humani & corporis constitutionem certam: Vnde multæ quoque, eæque diuersæ inter se inclina-

Rom. 7.

Gal. 5.

Inclinationes peculiare.

tiones & appetitiones hominū singulorum quotidie deprehēduntur.

Hominis excitatio ad cupiditates refrenandas.

1.
*Exerce Vir-
tutes.*

Dilice, homo, te ipsum abnegare, & cupiditatū tuarum impetum vīa & exercitatione virtutum frangere. *Instandum est, inquit, Augustinus, vitia sunt, frangenda sunt, cohibenda, sananda, sed dum curantur infesta sunt; Etsi nobis ad meliora proficientibus magis magisque minuuntur: tamen dum hic vivitur, esse non desinunt, discedente hac anima pra peribunt, resurgente corpore non redibunt.*

*Cupidita-
tibus con-
trarias.*

Ergo continuo in virtutibus progressu continue etiam minuuntur: quia habitus virtutis, quasi clauus fortissimus tendit habitum appetitionum & cupiditatum. Aug. *Vt cohibeas inclinationes prauas, sine communes, sine proprias, iis te virtutibus exerceas, qua illis maxime contrariae sunt. Vt autem compescas concupiscentiam, CONTINE.* Alibi: *Amor Dei gratuitus, cum flammam dignissimam & amplissimam facit, consumit cupiditates.*

2.

Contende viriliter resistere concupiscentiae & motionibus eius. *Pugna, inquit*

Augu-

Augu-
lud E-
eas. A-
quen-
confir-
mortal-
centus-
eius pz-
licade-
mnatio-
mette-
pleen-
te. Spi-
actu t-
surpat-
ad fide-
at den-
& feru-
quit A-
me col-
rogan-
stino: D-
gita illu-
gratia me-
tur.
Quo-
piditatu-
immobi-
placendi

Augustinus, *resiste, noli consentire.* Audi illud Eccles. 18. *Post concupiscentias tuas ne eas.* Animum tibi addat vis & dominatus, quem in carnem obtinet Mens Dei gratia confirmata. Ne regnet itaque peccatum in mortali corpore tuo, ut obedias concupiscentiis eius. Excitet te Christi Iesu meritum, eius praesens auxilium, & apud Patrem assidua deprecatio. Unde fit ut nulla condemnatio iis sit, qui sunt in Christo Iesu. Firme te in hoc certamine Spes in Deum. Ipse enim scapulis & alis suis obumbrabit te. Spiritum Sanctum iauoca, is erit tuo in aestu temperies. Frequenter sancteque usurpato Coenae Dominicae sacramentum, ad fidei tuae amplificandum robur. Sufficiat denique vires tibi in hac pugna humilis & feruens oratio ad Deum: *Datus est, inquit Apostolus, stimulus carnis mea, qui me colophizet: propter quod ter Dominum rogaui, ut discederet a me.* Dic cum Augustino: *Da, quod subes, & iube quod vis.* Cogita illud Domini responsum: *Sufficiat tibi gratia mea. Virtus mea in infirmitate perficitur.*

Quod si insurgunt motus vanarum cupiditatum, nihil animo mouetor, sed ita immobilis perseuerato in suscepta Deo placendi deliberatione, ac si extra te per-

1.

Rom. 6.

2.

3.

4.

5.

3.

turbationes existerent, nec tu ageres in ea re quippiam, sed patereris potius.

August. *Qui tanguntur huiusmodi motibus, & immobiles & in maiore charitate consistunt, non solum non eis exhibentes membra corporis ad male operandum, sed neque nutu consensionis ad exhibendum consentientes, nō hac agunt, & ideo regnum Dei possidebunt.* Bernhard. *An hac forte iam non ago illa, sed patior? aguntur quidem in me, sed a me non aguntur, si non cōsentio: Mea dixerim, non quia facio, sed quia sustineo.*

4. Explora & deprehende solerter prauas tuas inclinationes, vt cognitas cōerceas. Neque enim si hostem nō vides, expugnas. Inuestiga autem earum indicia. 1. Ex corporis tui constitutione, cuius variā qualitatem, variā sequuntur inclinationes. 2. Ex frequentibus & non accersitis cogitationibus de re quapiam, quæ solent esse signa animi ad eam propensi. *Vis nosse, inquit Fulgentius, quid ames? attende, quid cogites.* 3. Ex recognitione studiorum pueritiæ & adolescentiæ tuæ. *Ex studiis enim suis intelligitur puer.* Prou. 20. *Ergo & vir.* 4. Ex eo, quod facile, nulloq; negotio commouearis animo & sensu ad aspectum, vocē, aut famam rei alicuius etiam exiguæ. 5. Ex experientia propria eorum, quæ vel ad

virtutem

virtu
vitiu
cur
gen
bus ha
fanita
dam ne

O
M
abe
tu
for
bu
pisc
bris
su
me
coer
nis
spir
o Dem
ribus
visce
auffer
cor car
Deus
benign

virtutem tibi profuerint, vel obfuerint ad vitium. Iis enim quibus olim sumus læsi, cur non læderetur in posterum, nisi ea diligentius præcauerimus? Et cur iisdem, quibus hætenus feliciter vñ sumus ad animi sanitatem acquirendam, ad eandem tuendam non vtamur?

ORATIO AD DEVM.

MI Deus, ne derelinquas eum, qui a se ipso oppugnatur, manum ne subtrahes ab eo, qui se tue manui protegendum committit. Ah vide Deus & miserere miseri, infestor misere ab animi mei impiis cupiditatibus, & effrenibus appetitionibus. Caro concupiscit aduersus spiritum, & militat in membris meis, concupiscentia aduersus me, aduersus animã arma summi cupiditas noxia, Iuua me Deus salutis mee, ut domem rebellẽ hostẽ, coerceã carnis appetitiones, ut appetitus carnis mee sit sub me, & fasces suas submittat spiritui obsequiosus. Cor mundũ crea in me, o Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Memor fœderis tui, legẽ tuã inde visceribus meis, & in corde meo scribe eam, auffer cor lapideũ de carne mea, & da mihi cor carneum, ut ambulẽ in præceptis tuis. O Deus, si modo fieri potest, cõcede mihi pro tua benigna clementia hanc gratiam, ut me ipse

possim abnegare, ut obseruem inclinationes
carnis meae proprias, quae me ad turpiores &
frequentiores lapsus impellunt, & quibus ut
administris utitur Diabolus ad perden-
dum me, roborame virtute ex alto, qua co-
gnitas praecaveam, fugiam, vincam, superem.
Ut tandem liberatus ab omni malo, te puro
corde laudem & celebrem hic & in secula
seculorum, Amen.

D E

ANIMI REN-
TI AFFECTIBVS SAN-
ctificandis & perturbatio-ibus
domandis, ac purgandis,
in genere.

CAP. XXVI.

Appetitiones & cupidita-
tes sequuntur *Affectus* ac
Motus cordis aut volunta-
tis cognitionem sequen-
tes, quorum moderatio tam in iis,
quae delectant, quam in iis, quae offen-
dunt, sancta ratione, freno scilicet
pietatis, qua hic fas & fieri potest,
instituenda & gubernanda est.

S A N-

SANCTITAS itaque AFFECTV-
VM consistit in sancta eorundem cō-
motione. Primum in genere, deinde
in specie.

In genere o Homo Dei.

SEcurim abnegationis ad immoderatas
Sanimi tui affectiones & perturbationes,
qua malorum habituum radices sunt, admo-
ue. Abnegare quidem animi vitiosas affectus
non poteris nisi auxiliante Dei misericordia
& gratia, longique temporis labore; attamen
tibi maximo vigilandum studio, ut quic-
quid in eis impurum ac immoderatum coer-
ceatur, expurgetur, antequam vitium eo-
rum ad habitus firmitatem perueniat. Non
ocio tibi languendum, sed assidue tibi ampu-
tandi rami cupiditatum malarum, vitio he-
reditario in animo succrescentes. In inseren-
dis etiam bonarum affectionum surculis, il-
lorumque in locum subrogandis dabis ope-
ram. Vacat enim nunquam animus moribus,
aut turbidis & malis, aut serenis & bonis.
Occupetur igitur bonis, ne malis obruatur:
imo ut purgetur malis, compleatur bonis.

Cum primis vero occupa mentem tuam
in rebus Spiritualibus & diuinis. Tunc enim

hominis interioris labor, est ocium humanis exterioris; & spiritus fervor, est algor carnis & sensus. Denique, si unquam vlllo modo potes, animum tuum ac voluntatem plane auerte ab amore omnium rerum mundanarum, & carnalium, nec ab amore solum, sed etiam ab omni carnis voluptate, vt totus Deo applicatus coniungaris & quasi conglutineris. Opto, quod fieri in hac imbecillitate, vix spero. Sed tamen o homo mecum

I. Hæc meditator & persuadetur.

NE cito mente dimoueamini 2. Thes. 2. A timore repentino ne pauete. Prouerb. 3. Irascimini seu commoueamini & ne peccetis. Psal. 4. id quod omnino potuit solus Christus, qui contra Phariseos iratus, simul tamen condoluit, Marc. 3. Perfer iniurias 2. Tim. 3. Carnis curam ne habeas ad cupiditates Rom. 13. Ne inebriamini vino, sed implemini Spiritu Sancto. Eph. 5. Iuueniles cupiditates fuge. 2. Tim. 2.

I.

Esto tibi persuasum perturbationes offensiuas, etiam si maxime velis, tibi esse deuitandas, neque delectabiles amplexandas. Quoad offendentes, Expedi omnibus, siue accedentibus ad seruiendum Domino, vt comparent se ad tentationem Eccles. 2. Nam per multas oppressiones oportet ingredi regnũ Dei. Act. 14. Siue iam pergentibus pie viuere in

Christo,

Christo
uissima
eas con
Dei sp
di est le
potest
hominis
minibus
re, nist
suis, &
animo
tempo
fertim
vt du
aliis or
ipfi Ch
mino
fuit, se
ius: T
16. Cu
haberi
mi tere
Deus n
cunq; ve
12. Cor
Prou. 3
erudiri
17. Han
possidet
Delect

Christo, ut patiantur non modo leues, sed grauissimas perturbationes 2. Tim. 3. An non ad eas constitutos nos esse aperte pronunciat Dei Spiritus? *Thes. 3.* Nōne vita huius mūdi est secundū principem, cui concessa est potestas aeris, & Spiritus nunc agentis in hominibus cōtumacibus *Eph. 2.* Et in hominibus nequā, qui ambulant peruerso ore, nictāt oculis suis, verba faciunt pedibus suis, & omnimoda peruersitate infidente animo suo fabricantur omne malū omni tempore. *Prou. 16.* Vndiquaque mens præsertim Christiana obsidetur, quæ omnia vt vt dura, tamen humana sunt, communiaq; aliis omnib⁹ nostris fratribus. *1. Cor. 10.* imo ipsi Christo fratri nostro primogenito Dominoq; qui similiter in omnibus tentatus fuit, sed absq; peccato. *Heb. 4* Vnde illud eius: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem* Io. 16. Cui si vere fratres, siq; per eum filii Dei haberi volum⁹, iugo huic colla nostra submittere necesse habemus. Nam quotquot Deus nō castigat, pro spu iis habet, quemcunq; vero filiū recipit, hūc flagellat. *Heb. 12.* Corripitq; vt pater filiū, cui bene vult, *Prou. 3.* Vt puniri nihil aliud sit nisi a Deo erudiri, ne cū mundo cōdemnemur *1. Cor. 11.* Hanc correptionē quisquis amplexatur possidet animam suam. *Ibid.*

Delectabilib. pturbationib⁹ amplexādis

II.

(quæ omnes sunt in auaritia, vel fastu, vel libidine, carneaque aliqua cupiditate) si nos non cohibet amor Deo nostro debitus, si non vetat pudor: terreant saltem tot tamq; horrendæ legis, Prophetarum, Euangelique minæ, moneantque tot passim in sacro regesto exempla.

II. Ergo. O homo cupiditatibus tuis frenum iniecturus serium sacrorum cole studium.

Sacrorum enim cognitio nisi fuerit menti tuæ iucunda, ac nisi illorum sapientia animum imbuerit, neque viam ad quietem, neque orbitam bonam intelliges vllam. *Prov. 8.* Ad quæ vt facile animum inclines, audi quæ quantaque pollicentur. Sacra præcepta cordi allegata, deducunt te quo cunque itabis, cum cubabis, obseruabunt, & cū experrectus fueris, confabulabuntur tecū, pacemque donabunt. *Ibid.* Tota enim scriptura est diuinitus inspirata, vt pficiat hominem Dei ad omne opus bonum. *2. Tim. 3.* Præsertim vero ad patientiam, consolationem, & Spem, & ad abnegationem mundanarum cupiditatum omnisque impietatis, vt sapienter, iuste, pieque viueremus in præfenti seculo. *Tit. 2.* Nequaquã enim sacra præcepta legere audireue sufficit, sed meditari præstareq; oportet, ne iis similes fi-

mus,

mus, qu
plâtes a
Iac. i. E
confi
tibi exp
svetuo, la
a me. Ie
mea, affi
odeo di
polt te: F
tum op
III. F
TV
die
rentes p
vt quib
itaq; d
gere. i.
uit, vt
ergo eg
p in non
turtis for
accurrit
burque a
Sollucit
occupat
rerum in
rebus te
illius gen

mus, qui faciem nativā in speculo cōtem-
plātes abeūt, obliuiscunturq; quales sunt.
Iac. 1. Etenim non in verbis, sed in virtute
consistit verbum Dei, *1. Cor. 4.* Metuas ne
tibi exprobrans dicat Deus: *Appropinquas*
ore tuo, labiisque honoras me, cor autē procul
a me. Ies. 29. Quid tua, vt enarres decreta
mea, assumasque fœdus meum ore tuo, cū
oderis disciplinā & proieceris verba mea
post te? *Pf. 50.* Esto igitur factorum studiū
tuum operosum pia occupatione.

III. Ergo bene occupator homo.

TVM vt credimas oportunitatem, quia
dies mali sunt *Eph. 5.* Tum quia quæ-
rentes pacem exercentur in bono. *1. Pet. 3.*
vt quibus solis pax promissa. *Rom. 2.* Recte
itaq; doceris tū esse quietus, tū res tuas a-
gere. *1. Thes. 4.* Deus bona opera præpara-
uit, vt in iis versaremur *Eph. 2.* Quicquid
ergo egeris siue sermone, siue opere, sem-
p in nomine Domini id facias. *Col. 3.* Quia
turris fortissima nomen Domini, quo qui
accurrit in edito collocatur. *Pro. 18.* ro-
burque ad rem omnem inuenit. *Philip. 4.*
Sollicite e contra caueas ne tanquam male
occupatus pro homicida, fure, alienarum
rerum inspectore, cerebrolo, omnibusque
rebus te immiscente patiaris, *1. Pet. 4.* Nam
istius generis homo non segnius sibi ma-

lum accersit, quam qui carnē auribus prehendit. Da ergo operā vt irreprehensibilis in medio nationis prauæ cum bona conscientia cōuersans pudefacias eos, qui bonam nostram incessunt in Christo cōuersionem. *1. Pet. 3.* Sic etenim ambulans in integritate non modo ambulabis in vera securitate, *Prou. 10.* Sed & in mediis angustiis, cōtumeliis, calamitatibus, dummodo aliunde absque culpa tua irruentibus solide oblectaberis.

IV. Denique conuersatio tua sit honesta, & cōsuetudo tua cum bonis.

AVdi hic prius illud *1. Pet. 3. Declina a malo, deinde illud: Fac bonum: odio habet malum, bonum vero ama.* Ad quietem & ad existimationem nostram plurimum facit, si malos homines deuitemus, præcipue cum nos deceat non modo culpam, sed omnem omnino suspicionē à nobis remouere, ac proinde ab omni specie mali abstinere. *1. Thes. 5.* Tritum est illud: *Similis simili gaudet: Malefici maleficos, & recti rectos amant: & contra Improbi sunt abominationi rectis, & recti illis.* Deniq; *omne animal diligit sibi simile.* Generaliter ergo subduce te ab omni fratre, qui inordinate se gerit. *2. Thes. 3.* Præsertim a scortatore, aua-

ro,

*Deniq; scortator
a uauo*

ro, con
tore, de
stulto &
Item
eius ab
militari
ne ferm
tum ne a
te serues
cum cur
dictum
Imp
non m
adiun
re pio
tantū p
teq; fir
corda
quillas
En i
cupid
stringe
tibi con
Progr
tatione
continu
affectus
claus q
concupi

ro, conuiciatore, ebrioso, rapace, detrectatore, doloso, mendace, arcana reuelante, a stulto & ab iracundo, &c. *1. Cor. 5. Pro. 20.* Item ab habente formam pietatis, sed vim eius abnegante. *2. Tim. 3.* Cum quibus familiaris conuersari nec licet nec expedit, ne fermento eorum fermenteris. *1. Cor. 5.* tum ne alienis peccatis communices. Purum te serues. *1. Tim. 5.* Omne omnino commercium cum operib. tenebrarum tibi interdictum esse noueris.

Impiis itaq; relictis, sectanda tibi pax est, non modo cum multis, sed cum omnibus, verum adiuncta semper sanctimonia. Cum viro vere pio assiduus esto. *Ecc. 37.* Neq; sectanda tantum pax, sed mutuo etiam colenda, charitateq; sincera confirmanda est, per hanc enim corda nostra secura, conscientiasque tranquillitas reddi dicitur Dei Spiritus, *1. Ioan. 3.*

En igitur homo, quisquis animi tui cupiditates prauas coercere & constringere exoptas. En, inquam hoc tibi consilii.

Progredere in virtutum usu & exercitatione. Profectu in virtutibus continuo, continue etiam minuentur cupiditates & affectus vitiosi. Quia habitus virtutis, quasi clauus quidam fortissimus trudit habitum concupiscentiae, aliarumq; vitiosarum affe-

N

*Antiphona 3. h. 30
Jo. 1. 1. 1. 1.*

I.

ctionum, armatq; ac roborat facultates animæ, quibus insunt morbosæ affectiones, aduersus ipsasmet affectiones, illisq; impedimento est, ne insurgant, sed nec insurgere, nisi furtim possint, dum assiduo virtutū vsu in virtutū actionibus vires animæ occupantur. 2. Hinc summa contentione resiste concupiscentiæ & motionibus eius. Nam, *ut quidā dicunt Patres, concupiscentia relicta est ad certamen. Pugna, inquit, Augustinus, resiste, noli consentire.* Et si aliquando surrepunt, & vsurpant sibi oculū, aurem, linguam, volaticam cogitationem, dic suspirando: *Dimitte nobis debita nostra. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.*

ORATIO AD DEVM.

Cor mundū crea in me Deus misericors, & Spiritum rectū in noua in visceribus meis, neque proicias me a facie tua, propter cordis mei impiā impuritatem, qua totum scattet, inde ipsi Spiritum tuū sanctum, qui illud sanctificet, qui contineat & coerceat membra carnis, ne fiant arma iniquitatis: ne superet, prohibe Deus sancte, concupiscentia carnis, subtus me sit appetitus meus, fas tua gratia mihi subueniendo, ut dominet impotenti & impudenti cordi, ne regnet vnquam peccatū in mortali corpore meo ad obediendum con-

cupi-

cupiscentiis eius. Oro te Deum meum hoc & iterum oro, ut à me tollas, quod non est tuum, & des mihi, quod tuum, tuaq; voluntati conforme est. Datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae qui me colophizet. Ter quaterq; terogo, ut discedat a me. Da Deus quod subes & iube quod vis. Adiuua me Deus, ut insurgentibus animi mei motibus malis, immobilis ipse perseuerem in suscepto studio tibi seruiendi & placendi. Sine tuo numine, nihil valeo, omnia autem possum in Domino meo Iesu, qui vicit mundum, fac o Deus ut vincam carnis affectus. Amen.

D E

SANCTITATE

AFFECTVVM CORDIS

in specie sigillatim.

CAP. XXVII.



IN specie AFFECTI-
ONVM singulariũ sanctitas
consistit, in sancta singu-
larum pro sua natura ex
Dei gratia per Sanctum Spiritum
commotione.

Qua laude in primis sunt illustres
sequentes affectus.

*Affectio-
num sin-
gularium
sanctitas
in quibus
consistat.*

Spes.

1. S P E S, quā ponimus in Domino.

De qua Prover. 3. *Qui sperat in Domino saluabitur; Is. 30. In silentio & spe erit fortitudo vestra. Beati omnes, qui expectant Dominum: qua spe etiam cum suspiriis expectamus complementum redemptionis nostrae. de qua Rom. 8 v. 23.*

Spei confirmatae & viuae sua quoque est *πληροφορία*.

Col. 1. *Siquidem permanetis in fide fundati & firmi, nec dimouemini a Spe Euangelii, quod audiuistis, Euangelii, inquam predicati omni creatura, quae sub caelo est, cuius factus sum ego Paulus minister. 1. Pet. 1. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui ex multa sua misericordia renouit nos in spem & vitam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. Spes igitur illa bona est, quae sancte circa sanctas res sperandas & speratas versatur.*

Timor of-
fensionis
Dei.

2. Timor offensionis Dei, quo homo renatus agnoscens Dei & misericordiam & iustitiam, offensionem Dei veretur vt summum malum.

Pf. 130. *Apud te est condonatio, vt timearis. Hab. 3. Audiu i & contremuit venter meus, & ad vocem tremuerunt labia mea, putredo ingressa est in ossa mea, & apud me con-*

tremui,

tremui,
det con
t. loq
persona
opere, su
vstrate
pientia
3. Am
agnosco
Dei en
omnia
De
tz sur
ter de
dio ob
pro D
super
abent
nent: d
eonari
ad Dei
lata ma
reuelatis
men ei
Pra
regeni
sto, est
qui no

tremui, in d e afflictionis quiescam, cū ascendet contra populum, ut abscindat eum. 1. Pet. 1. It. q. si patrem cognominatis eum, qui citra personarum respectum indicat ex cuiusque opere, cum timore versamini commorationis vestre tempore. Timor Domini hic, est sapientie initium.

3. AMOR DEI, quo homo sanctus agnoscēs bonitatem & dilectionem Dei erga se, Deum vicissim super omnia diligere studet.

Amor
Des.

De quo Deut. 6. v. 5. Huius amoris notæ sunt: libenter audire verbum Dei; libenter de Deo loqui, sepe de Deo cogitare, sine tædio obsequium Deo præstare, corpus & omnia pro Deo exponere: appetere Dei præsentiam super omnia, de illa gaudere, dolere de eius absentia: amare omnia, quæ ad Deum pertinent: diligere & odisse hoc idem, quod Deus: conari in omnibus Deo placere: trahere alios ad Dei dilectionem: dona & gratias ab eo collatas magni aestimare: consiliis in verbo Dei reuelatis acquiescere: denique inuocare nomen eius cum fiducia.

Præcipue AMOR erga Deum in regenito spectatur is, qui est in Christo, estq; instar mortis, & sicut ignis, qui non potest exstingui.

Cant. 8. *Impone me, ut sigillum animo tuo, ut sigillū brachio tuo. Nam fortis est, ut mors amor, durus est, ut sepulcrū Zelus: pruna eius pruna sunt, ignisq; flamma diuina, &c.*

Zelus.

4. Zelus feruidus erga gloriam Dei.

Rom. cap. 9. *Optarim enim ego ipse anathema esse separatam a Christo pro fratribus meis cognatis, inquam, meis secundum carnem. Sanctus vero zelus generatim est amoris sancti affectio, excitata Spiritu Dei, ad imitationem virtutis alicuius, aut pietatis ac honestatis defensionem impellens, aliisve modis studium in amatam rem licitam ac piam ostendens.*

5. Angor excrucians animum ob peccata mundi.

Psal. 119. *Rivi aquarum ex oculis meis descendunt propter eos, qui nō observant legem.*
 2. Pet. 2. *Et iustum Lot nefariorū libidinosā conuersatione fatigatum eripuit. Iustus enim ille, cum habitaret inter eos, indies animam suam iniquis illorum factis & videndo & audiendo excruciabatur.*

6. Gaudiū spirituale cordis, quod ex cognitione Dei & sensu bonitatis eius nascitur.

Hic cor fidele gaudet & os exuperantiā

gaudii

gaudii p
det. Qu
ritu/s
Die/c
dium per

7. Ira

pietati, v
cta com

corpus f
fed vt v

Diabo

contu

vt pec

ne hic

tus ve

stes. V

rascat

deoq;

Hom

Affe

Apur

ritum S

mus reg

I. Spe

gaudii profundit: Et quidem in Deo gaudet. Quo pertinet *Exuperantia gaudii Spiritus sancti Rom. 14. Non enim est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudium per Spiritum Sanctum.*

7. Ira sancta & iusta, qua iustus impietati, vt impietati irascitur, & sancta commotione, non vt aduersum corpus stringat & impellat gladium, sed vt vniuersam machærã in ipsum Diaboli corpus immergat. Non vt contumeliam proximo inferat, sed vt peccantem cõuertat, vt excitetur, ne hic socors & segnis sit. Vt ita iratus vehementior sit in veritatis hostes. Vt aduersus sua ipsius peccata irascatur, animam suam obiurget, a deoq; conscientiam flagellet.

Hominis igitur spiritualis

Affectus sancti & sancta cordis purgati commotione per, Spiritum Sanctum existunt. Vnde animus regeneritus.

i. *Spe Sancta futurũ & absens vere*

bonum, cum primis spirituale aperte quasi & hiante corde expectat.

2. *Amore sancto*, corde calore & igne Sancti Spiritus excitato & quasi expanso, Amatam rem, piam scilicet & honestam, & super omnia Deum sibi adunit.

3. *Gaudio sancto*, in bono presenti, maxime spirituali acquiescit, & illud corde per Spiritum Sanctum dilatato ad sancte fruendum amplectitur.

4. *Sancta tristitia*, quæ est secundum Deum ob sibi præsens malum maxime culpæ, seu ob peccata sua cor cōstringit & comprimit.

5. *Timore sancto* demissum cor futuri mali expectatione constringit. At hic *Timor Dei filialis* excellit.

3. *Ira sancta* peccatis tum suis tum aliorum sancte irascitur. Omnia vero hæc a Spiritu Dei excitantur ad gloriam Dei.

Exhortatio ad Hominem.

Disce, quisquis es, refrenare & moderari sancte affectus tuos. Hic pugna, hic la-

psus,

psus, hic victoria, hic corona. Consecra eos & subiice Spiritui Sancto sanctificandos. Lapsus sunt hic debiliū, victoria fortium, corona vincentium, pugna omnium mortalium: hic deniq; tota fere militia Virtutū. In hac enim indomita domanda bestia & refranāda magna pars exercitii Christianarum virtutum consistit. Hec vinea quedam est, in qua assidue laborabis, hic hortus tibi expurgandus, quem sine intermissione coles. Hic multas inuenies noxias plantas, quas extirpabis, ut nouelli virtutum surculi in earum locum rursus inserantur. Seruus es Domini Dei, in hoc horto tuo semper obambules, Spiritu Sancto te ducente & regente, falcem gestans manu puta & eradica, fœtidas & perniciosas plantas, quae inter bonas succrescunt: vel Spiritu Sancto duce versator inter affectus tuos, coerce eos, tempera, dirige, nunc laxando, nunc stringendo, nunc lora detrahendo, pro ut Spiritus Domini dederit, ut non eo vagentur modo, quo carni placet, sed ex praescripto & lege Dei, ac Spiritus inhabitantis ducantur. Qui ducuntur Spiritu Dei, hi sunt filii Dei; fac & ora, ut omnes cordis tui cōmotiones ductum & moderamen Spiritus Sancti, non impuri sequantur. Vide ne amplius regaris affectionib. carnis, alioqui carnalis eris, & bruti instar. Mortifica prauas animi cupiditates, & Spiritu Dei

sancte commoueberis. Etsi vero cum omnibus affectibus tibi semper paratum sit bellū, maxime tamen cum appetitu honorū, voluptatum carnis, & diuitiarum. Hi tres fontes sunt & vena malorum omnium. Caue, homo, ne appetas ut semper tua fiat voluntas: hoc vitiū ad hominem a statu mentis deiiciendum potentissimum. Ora potius Deum sanctum, ut sanctificet totum animum cum omnibus viribus eius, ut quicquid in ipso est, totū a Deo, in Deo, & ipsius Dei sit.

ORATIO AD DEVM.

*C*Or hominis ad malū procline est ab infantia, agnata nobis est impura malitia. Sentio legem membrorum repugnantem legi mentis, sentio carnem rebellantem Spiritui. Iam sto, iam labor, ingemisco. Libera me Deus ab hoc malo. Ah quam immundum est cor meum, quam impuris commoueor affectibus! O Deus sancte sanctifica me miserum, purga, & resca. En totū cor cum omnibus affectio- nibus tuae manui, tuo Spiritui reformādum & repurgandum subiicio. Spiritus ille tuus bonus recreet me, ut tu sis salus, spes & exspe- ctatio mea, in te sperem, ne confundar: ut ti- meam te in omni loco respiciens misericordi- am & iustitiam tuā: ut omnia propter Chri- stum damna esse aestimem pra eminentia co- gnitionis eius, me ipse multem propter Chri-

stum,

*stum, m
bus, ma
mili,
re, quom
genium,
obea, ser
Davi, Z
semper un
inat gau
concupit
ad palat
sto: Chri
turbat
tustro
pse ab
urbat
ctus, p
monstr
& per
tuo cele*

*LO
VAE*

C

stum, omniaq³ mundana ducam pro stercore-
 bus, modo lucrifaciam Christum. Da Deus
 mihi, ut te super omnia in Christo amem pu-
 re, qui me dilexisti ita, ut donaris mihi uni-
 genitum filium. Ut irascar meis peccatis, &
 ob ea secundum te angar & excruciar tristis.
 Da ut Zelo scientia, prudentia & charitatis
 semper innitar propagande gloriae tuae, atque
 inde gaudium Spiritus Sancti in corde meo
 concipiam. Atq³ ita pleno tandem cursu ferar
 ad palmam superne vocationis tuae in Chri-
 sto: Christi bona sint mihi fragrantia. In per-
 turbationibus offendentibus te Deo meo fre-
 tus tranquille oblecter, in oblectantibus me i-
 pse abnegem: tandemq³ superatis omnibus per-
 turbationibus stolis albis in die magno ami-
 ctus, non digito tantum, sed eulogio hoc de-
 monstrer: En hic est, qui venit ex afflictione
 & perturbatione magna. Vt te Deum perpe-
 tuo celebrem. Amen.

D E

LOCOMOTI- VA ET PROGRSSIONE

sancta in viis spiritualis
 hominis.

CAPVT XXVIII.



Xterna sequitur Mouens facultas, dicta **LOCOMOTIVA & PROGRESSIO**, qua homo spiritualis de loco in locū progreditur.

Huius sanctitas cernitur in sancta illa præcipue motione, qua homo in viis vocationis suæ legitimæ sese ad Deum suum propius confert.

1. Hinc **IRE** ad Deum in sacro Digesto. *Quomodo abimus ad Deum, qui cælum & terram implet? ait Origenes: De vita ad vitam, de actu ad actum, de bonis ad meliora: non passibus pedū, sed mentis profectibus.*

2. Hinc homo spiritualis dicitur *ambulare coram Deo*, cum ita viuit sincere, vt decet Dei filium, seu, vt *latius exponit Origenes*. Cū non alia de causa boni quid facit, nisi propter ipsum bonum & Deum, seu cum perpetuo ob oculos sibi propositū habet Deū.

3. Hinc *Accedere ad Deum*, quod Augustino est, non motu corporis, sed credendo & amādo Deo appropinquare, eique adhærescere.

Locomotiva sanctitas in quibus consistat.

Ire ad Deum.

Ambulare coram Deo.

Accedere ad Deum quid.

4. Ho-

4. H
incede
progr
5. H
Curre
& char
gressus
re, a fid
6. H
manda
amma
latiasti
rere. A
fari, sin
gere. I
dara e
7. H
dicare
& vero
non inco
partum in
Non
bare Ege
ne & de
mores &
tere.

4. Hominis spiritualis est Spiritu incedere, & in vita spirituali sanctos progressus facere.

5. Hominis spiritualis est cū Deo *Currere*, seu sancte conuersari in fide & charitate: Et ad perfectiores progressus in vitæ sanctimonia properare, in fide & charitate proficere.

6. Homo spiritualis debet viam mandatorum Dei currere. *Pf. 119. Vi- am mandatorum tuorum cucurri, cum di- latasti cor meum.* Sine iniquitate cur- rere. *Pf. 13. Pie & sancte cum aliis ver- sari, sine dolo & malitia cum aliis a- gere. Post Deum currere Pf. 59. man- data eius fideliter obseruare.*

7. Homo sanctus non debet clau- dicare in vtrumq; latus, simul Idolis & vero Deo seruire, concitato gressu non incedere, partim in via Mundi, partim in via Dei ambulare.

Non debet pedibus suis aquã tur- bare *Ezec. 32.* corrupta viuendi ratio- ne & deprauatis dogmatis, fidelium mores & sanctam veritatem peruer- tere.

8. Si metuit ne in cursu spirituali deficiat, ad eum cōfugiat qui dat vel-
le & perficere, & qui ait Mat. II. *Veni-
te ad me omnes, qui laboratis & onerati e-
stis, ego reficiam vos.* Itaque

*Huc fatigati fugiamus omnes
Conferet gratam requiem laborum,
Sarcinas tollens, humeros molesto
Fasce leuabit.*

Difficultate itaq; viæ perterritus pedem ne referat, dicat potius cum Apostolo Phil. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Et cum Dauide Ps. 17. *In Deo meo transgrediar murum.* Timeat, ne si retro respicere voluerit, ineptus reddatur regno Dei Luc. 9. *Per-
gat itaq; viriliter agat, quia regnum
cœlorum vim patitur & violenti ra-
piūt illud.* Cum e Sodoma educitur ad montes properet, ne retrospiciat, ne in aridum & durū sal cōuertatur.

9. Viam sibi homo spiritualis eli-
gat Iesum Christū, qui dixit: *Ego sum
via, veritas & vita* qui tanquam Ori-
ens ex alto venit ad illuminādos eos,

qui

qui in vmbra mortis erant constitu-
ti, ad dandam sciētiam salutis, ad di-
rigendos pedes in viam pacis. Per vi-
am Iesum qui graditur, non ambulat
in tenebris. *Ipsē*, inquam, est via qua
eundum, veritas, cui credendum, vi-
ta qua viuendum. Deinde via ipsi fit
lex & mandatum Dei, quæ est via re-
cta & plana. In hac via immaculatus
ambulare studeat, & Deo placebit, si
priorem viam ingressus hanc nō ne-
glexerit.

Hāc ingressus viam, offeret se ipsi
via Crucis, quæ fortiter Christiano
calcanda & superanda, pati oportet
in hac via, vt per eam, salutis & glo-
riæ æternæ viam ambulemus.

Exhortatio ad Hominem.

Considera, homo Dei, quo usq; sis pro-
gressus, quantū vite tue spacium transi-
ueris, & quā parum in vita spirituali profe-
ceris, & cum quantū tibi vita supersit igno-
res, iam iam noctem instare arbitraris, teque
ad velocius currendum viam mandatorum
DEI excites, vt antequam huius vite

dies claudatur, ad aeterna vite hereditate capeffendā peruenias. Excute pigrūiā festina. Via tibi sit Iesus Christus. Via tibi sit lex & & sancta Dei voluntas. Viam ingredi etiam pacis, viam elige tibi veritatis, quam tibi Spiritus ostendit veritatis in sacro diuini verbi volumine. Caue tibi ab iis, qui dicunt Sapien. 5. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: Viam autem Dei ignorauimus. Caue tibi ab improborum viis, qua mala, tenebrosa, peruerse, infames vocantur Prou. 2. Est via, inquit, cap. 14. qua videtur homini iusta, nouissima autem eius ducunt ad perditionem. Via illa mundi lata seducit ad perditionem, ait Christus. Iustorum via incedere disce, quippe quas scriptura predicat pulcras, pacificas, reatas, planas, claras: haec licet sint anguste, deducunt tamen nos ad salutem. Vicināq; res habeat, non ociandum, non sessitandum, sed ambulandum: sed progrediendum & e mundo properandum est. Viam insiste fidei & virtutis.

Nam via virtutis dextrum petit ardua callem:
Difficilem q; aditum primum spectantibus offert,

Sed requiem praebet fessis in vertice summo.

Caue vero viam illam latam de qua Poeta.

Molle ostentat iter via lata, sed vltima metæ

Præcipitant. Ora itaq; cum Dauide, Ps. 25.

Vias tuas ostende mihi, & semitas tuas edoce me.

ORATIO

OR
V
in semita
fritu, u
bules. e
palantem
Dirige in
ne declin
mea, ad
ram te it
sinistram
uero, D
storem m
sicut ouis
mine, ut
mam m
tem ouer
cordie
viam. Sc
rex regum
mies sanct
tas tribulat
quid mirū
tuum pau
ipse non pa
que per gra
se suscipien

ORATIO AD DEVM.

Vias iniquitatis, sancte Deus, amoue a me seruo tuo, ne errem, & dispeream, deduc me in semita mandatorum tuorum. Rege me bono spiritu, ut tecum ambulem, quo ipse mecum ambules. Ah pater, in via vite mee ne desere me palantem & titubantem, ne te lapsus deseram. Dirige in conspectu tuo viam meam, & duc me, ne declinem a te. Utinam semper dirigantur via mea, ad faciendas iustificationes tuas: utinam coram te ita incedam, ut nec ad dexteram, nec ad sinistram declinem. Quod si a recta via aberrauero, Deus, da statim, ut cum Dauide ad te Pastorem meum me conuertam, & dicam: Erraui, sicut ovis, quae periit, require seruum tuum Domine, ut postea cum eodem dicere queam: Animam meam conuertit, hoc est, me veluti errantem ouem, tanquam bonus pastor, pede misericordiae & iustitiae suae baculo in rectam reuocauit viam. Scio mihi iter crucis ingrediendum, quod rex regum Christus Dominus, Apostoli & omnes sancti sunt emensi. Oportet enim per multas tribulationes ingredi regnum caelorum. Et quid mirum? quia cum oportuerit Christum filium tuum pati, & ita intrare in gloriam suam, cur ipse non patiendo ingrediar viam salutis. Da itaque per gratiam tuam imbelli mihi vires animose suscipiendi iter veritatis mundo exosa, hinc,

O

ut viam iustitiæ constanter teneam, & postea viam salutis & gloriæ inueniam. Via ad cœlum vera & unica est, quam ipsa via vera Christus verbo & exemplo docuit me, nemo ad te venit, nisi per filium hunc tuum, da fidei sincerum & viuum robur, ut abnegem ipse me, tollam crucem meam, & sequar ipsum, ut ibi sim, ubi ipse est, & videam gloriam eius in omnem seculorum omnium perpetuitatem, Amen.



D E

SANCTITATE
FACULTATIS GENE-
ratricis.

CAPVT XXIX.

Hæc enim animæ vis communis animalibus brutis tantum: superest communis brutis & plantis, nimirum Facultas Generatrix, NUTRIX & AVCTRIX.

GENE-

G
vis &
sancti
ne, &
nerur
stirati
& con
turpi
la Ver
H
tia c
proc
pollu
dia,
tate
nis a
i. The
ctificati
tione, ut
possidere
ne desit
Vta
impur

GENERATRICIS facultatis vis & potentia in hominē spirituali sanctificatur, dum in sancta affectione, & concessio diuinitus vsu continetur. Homo itaque spiritualis castitati & continentiae studet, cauet, & continet se ab illicito amore, a turpi libidine, & immodico concessae Veneris vsu.

*Genera-
trici fa-
cultatis,
sanctitas
in quibus
consistat.*

Hac sanctitate generatrix potentia coercetur, ne fontes honestae procreationis impuritate quadam polluantur, restinguuntur incendia, & prauae libidinis incitamenta, temperatur legitimus generationis ac rei Venerae vsus.

1. Cor. 7. *Sis sanctus corpore & spiritu.*
1. Theffalon. 4. *Hæc est voluntas DEI, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, non passione desiderii.*

Vt autem hæc in nobis facultas ab impuritate conseruetur, & castitatis

decore exornetur, exoremus Deū,
vt prauas in nobis concupiscentias
coerceat.

Syr. 2. *Domine Deus, dominator vita mea,
custodi me ab oculo impudico, & custodi me a
voluptatibus malis, ne patiaris me obbrutescere
in crapula & libidinibus, & custodi me a corde
impudenti. Imitemur Iobum, qui de se scribit
cap. 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt cogi-
tare[m] quidem de virgine.*

Fomenta & irritamenta libidi-
num sunt fugienda.

Syr. 9. *Fuge amicas, ne incidas in laqueos ea-
rum. Ne adsuefacias te ad psaltriam, ne capiat
te illecebris suis, Noli respicere ad puellas, ne ac-
cendaris erga illas: vide ne adhereas scortis, &
iacturam facultatum tuarum facias. Ne iacta
cervicem huc illuc respiciens, nec per omnes an-
gulos discurre. Auerte faciem tuam a pulcris
fœminis neq; forma te alienarum moueat: for-
mosa enim mulieres deceperunt multos, & male
cupiditates hinc inardescunt quasi ignis. Non
assideas mulieri alienæ, non amplectaris eam,
neq; connueas cum ea, nec cor tuum adhereat
illi, tuusq; animus captiuetur.*

Exhortatio ad Hominem.

Impuris hominibus præclusus est in cælum
aditus. Hoc scias, o homo, dicente Apostolo,

quod

quod omni
(quod est
tatem in
etiam a
sue cupi
delectatio
est. Matt.
scendam e
Ab hac ig
& expia
fugienda
pori es un
brum m
pa huius
stolui tu
Cor. 6.
sunt Ch
provoca
immun
in vobis
militati
mnis, inq
sine qua ne
potest. Na
cit, carnis
nendo non
qui solus
& vult, m
inuentiam

quod omnis scortator aut immundus aut auarus
 (quod est idolorum seruitus) non habet heredi-
 tatem in regno Christi ac Dei. Hoc intelligitur
 etiam de iis, qui animo tantum impudici sunt,
 siue cupiditate, siue deliberato consensu ad carnis
 delectationes. Sanctissima enim Christi sententia
 est. Matt. 5. Qui viderit mulierem ad concupi-
 scendam eam, iam moechatus est in corde suo.
 Ab hac igitur impuritate animam tuam libera
 & expia. Tibi maxime, homo Christiane, illa est
 fugienda, siquidem in baptismo, quo Christi cor-
 pori es insertus, corpus tuum factum est mem-
 brum mysticum Christi, ideoque redundat cul-
 pa huius iniuria in Christum ipsum, quod Apo-
 stolus tibi considerandum proponit, cum dicit 1.
 Cor. 6. Nescitis, quod corpora vestra membra
 sunt Christi. Quare alibi ad sanctitatem idem te
 prouocat, Eph. 5. Fornicatio autem & omnis
 immunditia, aut auaritia ne nominetur quidem
 in vobis, sicut decet sanctos. Quare, o homo, hu-
 militati & orationi da sedulam operam, ante o-
 mnia, inquit Cassianus, humilitas vera adsit,
 sine qua nullius penitus vitii triumphus acquiri
 potest. Nam si mens Deo subdi humiliter despi-
 cit, carnis suae desideria dominando, ac praemi-
 nendo non premit. Cum Salomone ad Deum,
 qui solus in tanto discrimine opem ferre potest.
 & vult, magna humilitate mentis accurre, con-
 tinentiam & fortitudinem postulans. Sap. 8. Sci-

ui, inquit, quia aliter non possem esse continens, nisi Deus daret, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum, adii Dominum, & deprecatus sum illum. Abstinentiam cole, carni pabula subtrahere, oleum flammæ ne adice, ardenti corpori fomenta ignis ne ministra. Cura & custodi cor tuum, de quo procedunt cogitationes male. Abiice igitur & expelle pravas cogitationes statim ac in animo excitantur, ac in mentem tuam seuoca castas & honestas cogitationes. Custodiæ sensuum tuorum summopere stude, ne mors per illas ingrediatur in cor tuum. Pugna, ut vincas, & victor coronaberis.

ORATIO AD DEVM.

Custodi, sanctissime Iesu, animam meam, & sanctifica me, totum effunde spiritum continentie & castitatis super me, qui puram in corde meo sanctimoniam exerceat, qui me doceat curam habere oculorum meorum, fugere occupationes libidinum, declinare consuetudinem hominum impurorum, ne ab illis incendar, & peream. Da mihi hunc animum, qui otium Sata-næ puluinar, & libidinum fomentum detestetur, & semper aut oret, aut laboret, aut utrumque faciat, illud ingemiscendo, hoc operando honestam rem. Hanc mihi mentem Domine Iesu iniice, quæ non patiatur corpus suum nimis lau-

te infarcire
vinapotent
cor meum
munda
tu sensu
Fac ut te
Manus
quod non
per ardes
ua, amor
am, inob
visurus

SA
P



in sancta
limento

te infarciri, sed qua studiosa abstinencia, caueat
 vinapotentia, & cibos calefacientes. Custodi tu
 cor meum, & ab omni prava cogitatione illud e-
 munda, qui sanguine tuo me mundasti, custodi
 tu sensus meos, eosque ab omni auerte vanitate.
 Fac ut te Iesum meum totus inardescens amem.
 Minus te amat, qui tecum aliquid amat,
 quod non propter te amat. O amor sancte, q̄ sem-
 per ardes, & nunquam exstingueris, caritatis
 tuae, amoris puri igne accende me. Continenti-
 am iubes, da quod iubes, & iube quod vis, &
 visurus sum faciem tuam in caelis. Amen.

D E
SANCTITATE
 POTENTIAE NV-
 tricis.

C A P V T XXX.

NUTRICIS facultatis
 sanctitas, est ipsa sobria
 temperantia, qua ipsa
 potentia animi fidelis
 in sancta affectione, & moderato a-
 limentorum usu continetur. Hac

*Nutricis
 facultatis
 sanctitas
 in quibus
 consistat.*

homo spiritualis aptus fit ad corpus suum alendum & conseruandum, non debilitandum, adiecte preces concipiendas & coram Deo effandendas, ad negotia sua, quæ ratione vocationis suæ ipsi incumbunt, rite expedienda, vt eo sit tutior contra diaboli tentationes.

1.

Hac gratia donatus homo moderatur vsu nutrimentorum, qui in cibo capiendo modum tenet naturæ & legi conuenientem.

2. Pet. 1. *Ministrate in scientia abstinentiam, Prouerb. 23. Noli esse in conuiuuiis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt. Syr. 31. Cum sedes ad mensam diuitis, ne dilata guttur tuum, ne cogita, Hic ingens copia suppetit, vt belluemur. De his quæ apponuntur ede vt homo, ne vorax sis instar belluæ, ne merito in odium incurras. Homo moderatus paucis contentus est, ideo & in grabato aegritudinis non gemit anhelus. Et cum stomachus non est oneratus, somnus est dulcior, & eo facilius mane surgere potest, vt sobrius & apud se sit &c.*

2.

Tenet etiam naturæ & legi conuenientem modum, in sumendo

po-

potu
Sobrius
quidem
Sed, vt
tem. V
dum, no
attente
suo, & qu
vtatur. Q
38. 19. ibi
facias
vinum
cap. Ca
vestra

Impo
tis Pa
rioris hon
appetit
carnalis
qui non q
vaz, comp
mine teste
poterit de
conflictum
prius intr
licez appeti

potu exercendo sobrietatem.

Sobrii estote, & vigilate inquit Petrus. Carnis quidem curam agere debet homo. *Rom. 13.* Sed, *ut est ad Colos. 2.* in honore ad saturitatem. Vescatur in tempore suo ad reficiendum, non ad luxuriam. *Eccles. 10.* Quisque attente consideret, quid conducat corpori suo, & quid lædat valetudinem suam, eo non vtatur. *Qui moderate viuit, longæuus erit. Syr. 38.19.* ibidem: *Cave igitur a sotiam, nec ad suefacias te ad belluaciones. Ne sis potator vini, nam vinum multos homines perdidit, &c. vide 32. cap. Cavete,* inquit Dominus Iesus, *ne corda vestra grauentur crapula & ebrietate. Luc. 21.*

Hominis excitatio.

Impossibile est, o homo, ait non nemo ex sanctis Patribus, saturum ventrem pugnas interioris hominis experiri: qui enim gulæ superfluos appetitus inhibere non potuit, quomodo æstus carnalis concupiscentiæ valebit extinguere? & qui non quiuit passiones in propatulo sitas parvasq; compescere, quomodo occultas nullog; homine teste, prurientes moderatrice discretione poterit debellare? Profecto, crede experto, non ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus edometur. Non coronabitur, nisi

Cassianus

qui legitime certauerit. Ex uno intemperantia vitio, innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur, & cum gula vitium reciditur, alia multa nobis vitia subiugamus. Ventris moderatio, inquit Basilus, animi perturbationum compressio est, perturbationum autem compressio animi pax est & tranquillitas. Animi vero tranquillitas, nihil aliud, quam virtutum fecundissimus fons. Rege itaque, o homo, quisquis es, appetitum hunc, & ratione voluptates carnales moderare, imo inuocato & accepto spiritu abstinentiæ & temperantiæ Daemonem impiæ intemperantiæ & ingurgitationis iugula & saltem coerce. Cogita voluptatem eam esse malam, quæ sequitur actionem malam, & esse impedimentum, ne se Deus per verbum suum inmittat in animum tuum, teque ad se trahat & conuertat. Et quæ, quæso, hæc est voluptas, quæ inanis, fluxa, momentanea est? An non eo ipso tempore, quo suis illecebris hominem irretiuit, tanto cum veneno, dicamne an vi suauitatis suæ animum capit, vt illi plane dominetur? Me Christe, indigna res est Christiano homine vita intemperans, de cælo enim lux descendit, quæ tenebras ignorantia præteritæ iam pridem dispulit: Cur non igitur ambulamus sicut in die, non in comessationibus & impudiciis? O homo, induamus dominum Iesum Christum, & carnis curam ne agamus in desideriis. Rō. 13. Cole, si unquam potes, temperantiã

hæc

hæc te temperantem, abstinentem, parcum, sobri-
um, moderatum, pudicum, tacitum, serium, ve-
recundum faciet. Hæc virtus si in animo tuo ha-
bitat, affectus temperabit, & desideria multi-
plicabit sancta, vitiosa castigabit, omnia intra te
confusa ordinabit, ordinata coronabit, cogitatio-
nes prauas remouebit, inseret sanctas, ignem libi-
dinosæ voluptatis exstinguet, animi teporem de-
siderio futuræ remunerationis alacrius recrea-
bit, & accendet, mentem tacita componet tran-
quillitate, & totam semper ab omni vitiorum
defendet tempestate. Utere igitur utiliter, &
frugaliter donis Dei, vt te alant ac resciant, non
suffocent, ac ingulent. Ne graues cor tuum do-
nis Dei, sed potius exhibeas te ipsum Dei sobri-
um & abstinentem filium, in multa patientia,
iniuriis, vigiliis, in castitate, & temperantia, &
templum te exhibebis sancto spiritui, qui in te
habitans te sanctificabit, vt vasa tua, & mem-
bra omnia exhibeas arma iustitiæ.

Oratio ad Deum.

O Pie Iesu, saluator & redemptor hominum,
qui immundos spiritus obsessorum profliga-
sti, oro te, vt e corpore & anima euicias spiritum
intemperantiæ, tum sanctis tuis donis, tum nu-
trice mea facultate fœde abutentem, & me

contra blandientem gulæ & ebrietatis Dæmonem munias. Potius me diuini tui amoris inebria haustibus, ut regno cælorum, quod ebriosis non possidebunt, non excludar. Fac tu me spiritu sancto tuo in me efficaciter operante abstinentē, ut me ipsum & intemperantiæ in me vitium abnegem: ac caueam, ne rapiar aliquando occasione necessitatis extra metas necessitatis: subministra de cælo vires, quibus bellum suscipiam aduersus gulæ & immoderatæ ingurgitationis delectationem, quam forte percipio eiusdem necessitatis occasione. Da Iesu, ut me comparem, antequam cibum aut potum capiam, non secus, ac si medicamentum quoddam sim sumpturus: Et quoties inter edendum & bibendum noua voluptas insurgit, expendam & iudicem, quid in ea sit vitiosum. Utinam semper meis auribus & cordi insonaret vox illa tua: Cauete ne grauetis corda vestra crapula & ebrietate, ut tibi obediens, sobrius & vigilans inuenirer, ne quid unquam Satan potestatis in me reperire posset: sed resisterem maligno, & vigilantem me rediturus ad me inuenires, & assumtum me ad te in vita cœlesti, ad gloriam tuam tibi datam, contemplandum reponeres æternum saluandum, Amen.



De Avo
loci & c
beo, v
lis Con
explic
niet acc
que cor
potum
bimur.



CO
RI



per quat
nimæ sar
instrumen

De AVCTRICE facultate, quod hui⁹ loci & considerationis sit, nihil habeo, vbi vero infra hominis spiritua-
lis Conseruatio, Nutritio & Auctio explicabitur, locum illa multo inueniet accommodatiorem. Iam itaque corporis sanctificati membra, potissimum allegorice contem-
plabimur.



DE

CORPORE SPI- RITVALIS HOMINIS.

CAPVT XXXI.

ADhuc Animæ faculta-
tes hominis sanctificati:
sequitur eiusdem COR-
PVS, cuius sanctitas est,
per quam aptum est, esse sanctum a-
nimæ sanctificatæ domicilium, &
instrumentū ei in bono perficiēdo.

*Transitio**Corporis
sanctitas
que.*

Rom. 6. *Hominum more loquor, propter infirmitatem carnis vestrae: itaq; sicut sistitis membra vestra serua impuritati & iniquitati ad patranda iniquitatem: ita nunc sistite membra vestra serua iustitiae ad sanctimoniam.* 1. Cor. 4. *An nescitis quod membra vestra sint templum Spiritus sancti, &c. Glorificate igitur & portate Deum in corpore vestro. Alibi: Deus pacis sanctificet vos totos, ut spiritus, anima, & corpus vestrum inculcata sint in diem usque Iesu Christi.* 2. Cor. 6. *Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam habito in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt meus populus.*

Corpus
hominis
spiritualis
quid.

CORPUS igitur hominis spiritualis est, quod non tantum anima naturaliter animat, sed & spiritus spiritualiter viuificat & regit: quodque DEO & Spiritui est subiectum.

Boet. lib. 4. de consol. *Viri sancti corpus, virtutes edificauerunt, hinc nonnullis Metaphorice Corpus illud est cumulus virtutum, in unum quasi coeuntium. Ut enim corpus peccati est tota vitiorum moles: ita corpus Spiritus est tota virtutum congeries, & bonarum operationum fabrica.*

Cor-

Corpus hominis tum est Quantum, tum Erectum..

QUANTVM, per trinam dimensionem, scilicet longitudinem, latitudinem & profunditatem suam.

Corpus
quantum

Ita corpus hoc metaphoricum suam habet quantitatem & dimensionem fidei, & virtutum. Longitudinem, aiunt nonnulli: esse *longanimitatem*, qua patienter in bene agendo perseueratur. Latitudinem, *caritatis amplitudinem*, qua DEVS, & proximus propter Deum diligitur. Profunditatem *humilitatis virtutem*, quæ in intimas magnitudinis suæ partes se colligit, & in centrum seu punctum sese constringit: per quã, dum quis magn⁹ existit minimum se esse existimat. Et dum hac ratione decrescit, mirabiliter in Deo augefcit. Sed hæc allegorice. Unde est, quod quidam homo spiritualis sit maior, quidem minor. Vide Origen. tractatu s. in Matth.

Corporis
longitudo.

Latitudo.

Profunditas.

ERE

Corpus e-
rectum.

ERECTVM porro est corpus ho-
minis stature rectitudine, qua Deus

*Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

Homo igitur spiritualis, non mo-
do rectitudine externa, sed cum pri-
mis interna erectus ad cœlum & ad
Deum esto.

Rectitudo
hominis
qua.

Rectus esto, vt fide & obedientia
recta incedat, vt Deo, recto corde,
ipsum debito cultu colendo, & su-
per omnia amando, proximumque
sincere diligendo, inseruiat, & ab
ipsius mandatis non declinet. De
Iobo dicitur: *Erat vir ille simplex, & re-
ctus, & timens Dei, & recedens a malo.*

*Vir a virtute & robore, simplex a sim-
plici viuendi ratione, rectus a rectitu-
dine fidei & amoris, timens Deum, a
cultu & reuerentia: recedens a malo, ne
aliqua ratione sese inflecteret & cõ-
taminaret.*

Recta
quæ sã so-
leant esse.

Solent, quæ recta sunt, esse stabili-
ora, visu pulchriora, simpliciora ac
tactu minus aspera: & denique quic-

quid

quid re-
vi index
ctum
I. stabile
le frang
nistram
micorum
II. Cogi
criorem
stituat
ius op
lestis:
Dei de
pulchri
spicien
ritus.
III. Si
te, non
vanitati
caritate
na semp
IV. Om
& curuo
gula, &

Sanctus & firmus.

quid rectum est, solet esse sui & cur-
ui index. Sic homo spiritualis se ere-
ctum videns, cogitet se debere esse
I. stabilem ac firmum, qui non faci-
le frangatur, nec ad dextram aut si-
nistram flectatur, insultibusue ini-
micorum cedat.

II Cogitet se visu oportere esse pul-
criorem, hoc est, ita vitam suam in-
stituat, vt videant homines bona e-
ius opera, & glorificetur pater cœ-
lestis: ita mirum in modum oculos
Dei delectabit, qui gloriabitur de
pulcritudine eius, & ad ipsum con-
spiciendum cœlestes inuitabit spi-
ritus.

III. *Simplex* sit absque vlla asperita-
te, non sese immisceat mundi huius
vanitatibus, sed simplicitatem cum
caritate vbique ad Dei gloriam, bo-
na semper intentione colat.

IV. Omnium deniq; obliquorum
& curuorum sua rectitudine sit re-
gula, & quasi viuendi quædam ra-

tio, vir enim iustus est humanarum actionum norma.

Exhortatio ad Hominem.

Rom. 12

I. Cor. 6

Obscrote, o homo, ut exhibeas corpus tuum hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium tuum, & noli conformari huic seculo, sed da operam, ut reformeris in nouitate sensus tui, ut probes, quae sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta. Emtus es precio magno, glorifica itaq; & porta Deum in corpore tuo. Nosti corpus etiam tuum esse membrum Iesu Christi, ne quæso tollas membrum Christi, ut facias illud membrum meretricis. Vide, homo, quam nobile, quam illustre, quam speciosum corpus, ex diuinis donis & virtutibus coagmentatum tibi conueniat. Idigitur fac acquiras, & mundum ab omni labe conserua, ut totum sit nitens & lucidum. Erit autem lucidum, cum omnia eius opera, fidei & caritatis lumine erunt illustrata, & a tenebris peruersi mundi, & carnis omnino expurgata. Si vero lucidum corpus te habere senseris, caue, ut hominibus apparere velis, & eam, quam a Deo expectas gloriam, a mundo non requiras: sed cum te a Deo collustratum videris, splendorem tuum in Deum refundas.

Esse

*Esse Deo, quisquis cupit ergo fulgidus: ipsi
 Hareat, & mundi spernat inane decus.
 Nam, quo mortales quisq; est mage fulgidus inter,
 Hoc minus est magno fulgidus ille Deo.*

ORATIO AD DEVM.

O Deus pacis sanctifica me totum, ut spiritus,
 anima, & corpus meum tibi inculpatum sit,
 & maneat in diem usq; Iesu Domini mei. Fi-
 delis es, quod promissisti, prestabis: quod coepisti,
 perficies. Corpus meum est filii tui, Christi Do-
 mini mei membrum, da sanctificationis spiri-
 tum, qui sibi illud constituat templum sanctum,
 in quo habitet & operetur. Utinam, mi Deus ita
 semper viuere possim, ut te Deum sanctum per-
 sentiscam, glorificem, & portem in hoc corpore
 meo. Libera me de corpore mortis huius, ut ve-
 tus meus homo crucifigatur, & destruaturs cor-
 pus peccati, ne ulterius seruiam peccato. Da mi-
 hi corpus lucidum, luce oculorum & recto iudi-
 cio illustratum. Aufer corpus a me tenebrico-
 sum vitis & peruersis affectibus, ut sciam vas
 & organum hoc meum possidere in sanctitate &
 honore, non in passionum desideris. Ut virtutum
 incrementis cresciam in virum perfectum, con-
 cede vires, Deus magne, qui sine quantitate ma-
 gnus es. Ut rectus sim recto in corde, spiritum re-
 ctum innoua in visceribus meis, & corpus hoc a-
 nimale seminabitur, resurget vero corpus spiri-
 tuale in gloriam caelestem. Amen.

D E

CORPORIS SPI-
RITV DEI ANIMATI
elementis & qualitatibus
allegoricis.

C A P V T XXXII.

Corporis
humani
principia.



Orpus hominis, tum habet
sua *Principia*, tum *Membra*.

Elementa

PRINCIPIA, puta se-
cunda, creduntur vulgo esse *Elemen-
ta*, ex quibus coagmentatū conſtet.

Elemen-
torū qua-
litates.

ELEMENTA numerantur vulgo
quatuor: *Ignis, aer, aqua, terra*.

Horum elementorum primariæ
qualitates ſunt *Caliditas, & frigiditas,
ſiccitas, & humiditas*.

Caritatis
ſanctæ vir-
tutis.

Hæc non displiceat allegorice
conſiderare in ſpirituali corpore e-
ius, qui quærit ſuperna.

I. ELEMENTVM IGNIS con-
currens ad interni hominis naturã,
dicamus eſſe virtutem ſanctæ Cari-
tatis, quæ omnibus virtutibus præ-

mi-

miner
homen
dlectio
encom
Vbi
moſpir
tus Igne
II. ELE
mas Hv
ab hon
ri, fac
trat ſu
inſinua
calos, e
Humil
Do.
Vbi
tas, ibi
un & ſe
III. EL
carius Tin
ofum, qui
tiz calores
lucet, & fa
moveri ſe

minet: hæc purgat immunda, & vehementer agit. *Est enim fortis, ut mors, dilectio, & magna operatur.* Vide eius encomia. *1. Cor. 13.*

Vbi igitur nulla caritas, ibi homo spiritualis nondum est constitutus. Igne caret, qui caritate caret.

II. ELEMENTVM AERIS dicamus Humilitatem Christiana, quæ ab hominum oculis non vult videri, facile mouetur & omnia penetrat sua liquiditate, & in omnes se infinuat. *Oratio humiliantis se penetrat caelos, & ipsum impenetrabilem Deum. Humilia te, & inuenies gratiam coram Deo.*

Humilitas Christiana.

Vbi igitur nulla est vera humilitas, ibi nec homo est spiritualis, Deum & se ipsum recte cognoscens.

III. ELEMENTVM AQUÆ dicamus Timorem Dei filialem & obsequiosum, qui frigiditate sua concupiscētiæ calores restinguit, puritate pellucet, & facilitate ad bene agendum moueri se patitur, Hoc elementum

Timor Dei filialis & obsequiosus.

in re spirituali ad susceptionem formæ, plurimum iuuat.

Eccles. i. *Nam, qui timent Dominum, preparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Timor hic quidem expellit peccatum, sed nō expellitur a caritate.

Vbi igitur nullus Dei timor in ipsius obsequium, ibi fundamenta noui hominis vix iacta esse dixeris, Timore Dei qui caret, nouitate vite caret.

*Constan-
tia & per-
seuerantia*

IV. TERRÆ ELEMENTVM, quia stabile, dicamus *Constantiam & Perseuerantiã*, quæ stabilis est in fide & bono virtutis proposito, arida & sicca, seu ab omni carnis mollicie aliena, perdurans & non cedens. *Qui perseuerauerit ad finem vsque saluus erit.*

Vbi igitur in caritate, humilitate, timore Dei, adeoq; fide, non est perseuerantia, ibi salus hominis esse nequit. Perseuerantia qui caret, fide saluifica caret.

*l.
Caritatis
feruor, &
ardor.*

Transitum faciamus ad qualitates, quæ hæc elementa consequuntur.

PRIMA qualitas est CALOR: huic

re-

C
reipon
tatisfer
scens, n
a xion
dum, &
cotinet
Hic in n
tutum,
inagen
unlab
c bos,
a vir
festat
ignem i
ar leant
ris ard
cum e
rūpit,
tit car
renicit,
humilita
timore c
Secun
quæ qui
vspiam a
mus, qu

respondet in homine spirituali *Caritatis feruor & ardor*, qui ex fide inardescens, multa bona generat, & sanctis actionibus vim quandam addit viuendam, & in cursu spiritualis vitæ nos cōtinet, *Qui non diligit, manet in morte.* Hic in nobis maturat, quod immaturum, & acerbitatem difficultatis in agendo bene, remouet. Amantium labores amari non sunt, omnes cibos, quantumuis duros, conficit sua virtute, seq; suis flammis manifestat. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* Prouerb. 6. Ociosus hic amoris ardor nunquam minus est, quam cum est in ocio. Calor hic vitia corrūpit, opera caritatis generat, mortificat carnem, cor contritione rarefacit, commiseratione emollit, humilitate condensat, animi vires, timore constringit & custodit.

Secunda qualitas est FRIGIDITAS, quæ quidem in sacris oraculis male vsquam audit, sed hic eam intelligamus, quæ ex DEI timore oritur,

2.
Frigiditas ex timore Dei.

adeoque aquæ competit, nempe, quæ calorem cupiditatum carnaliũ & mundanarum exstinguit, humilẽ reddit, & deorsum ab inanis gloriæ & superbiæ altitudine deiicit, & a malo abducit: quæ alborem castitatis & puritatis introducit, fucũ omnẽ remouet, appetitionem malorum & carnalem luxum constringit, calorem caritatis veluti per quandam antiperistasin adauget, & dum calorem concupiscentiæ, quo humiditas spiritualis exsiccat, frangit, vitam spiritualem, quam peccata exstinguunt, conseruat.

3.

*Facilitas,
& placabilitas,
& demissio.*

Tertia qualitas est HVMIDITAS, quæ allegorice, & mystice accepta potest esse *facilitas*, & *placabilitas*, ac *demissio*, quæ ex humilitate & deuotione oritur & respondet aeri. Hæc enim in seipsa non consistit, sed non lec^o ac aqua a vase se cõtineri & terminari sentit. Humilis enim ait: *Non mea, sed tua fiat voluntas.* Facile hæc humiditas patitur, seq; aliis subiicit,

&

& car
suo d
in mo
lun
bet, qu
simler
aem vi
superfl
renaste
noris
iungit
it.
VI
ram a
spiritu
drioi
vimi
ditatio
tum,
na vlu
detur.
exsiccat
solidat,
constri
retarda

& caritatis calore se in proximos suos diffundit. Hæc nutrit, ac mirū in modum cor spirituale auget, & dum pabulum calori spirituali præbet, quod calor concupiscentiæ cōsumserat, instaurat: quo fit, vt spirituale vitam magnopere conseruet: superfluum feruorem circa res terrenas temperat, parum inter se interioris hominis cohærentes partes iungit, dura omnia emollit & vincit.

Ultima qualitas est SICCITAS, terram aridam comitans, in homine spirituali constantiam firmans, est durior quædam, per mortis, iudicii ultimi, inferni, & vitæ æternæ meditationem per pœnitentiæ exercitium, per continentia & abstinentiæ vsum, viuendi ratio, vt carni videtur. Hæc luxuriæ abundantiam exsiccat, spiritus imbecillitatē consolidat, prodigalitatē & lasciuiam constringit, cursum ad malitiam retardat & inhibet appetitiones

Constantia.

carnis attenuat, agilem hominem ad fidei obedientiam, & vigilem in his, quæ ad salutem eius pertinent, reddit.

Hæ qualitates spirituales ubi sunt, ibi earum elementa esse necesse est: hæc ubi inveniuntur, homo vere ipiritualis Dei vitam agit.

Exhortatio ad Hominem.

COrpus ex elementis conflatum, est mixtum, elementa insequuntur elementares qualitates in mixto. Spiritualem & renatum te iactas, homo Christiane, examina omnes partes, & explora principia tuæ spiritualis constitutionis. Si non caritatis igne flagras, nec humilitatis aera spiras, nec aqua diuini timoris perfusus es, nec Christiana in fide, & fidei actionibus perseuerantia terra fundaris: Utiq; beatus, & in solidum, spiritualis es neutiquam. Si hæc habes, & sentis discerne actiua & passiuæ. Magis agit ignis & aer. Ignis igitur in te impuritatem omnem consumat. Aer concupiscentiam omnem restinguat. Humilitas faciet te a quouis formam & terminum recipere, instar aquæ. Constantia veluti siccitas quædam te continebit solidum. Agendum utique tibi & patiendum. Bona agenda sunt,

mala

mala perpetienda. Agere siquidem & pati Christianorum est. Prodeat itaq; a caritatis tue igne ardor & fulgor in Deum & hominem. Prodeat ab aqua timoris frigus quoddam sanctum, omnes cupiditates, & omnia mala constringens & cohibens. Prodeat ab aere humilitatis amica humiditas humanitatis, facilitatis & placibilitatis. Prodeat denique a terra tua constanti stabilitate viuendi ratio, ut seuerior ita sanctior, qua a profusa & indulgenti viuendi consuetudine retraheris, ad membra tua arma iustitiae, & organa pietatis & sanctitatis Deo sistenda. Hac te regentium demonstrabunt.

ORATIO AD DEVM.

Domine, creator vniuersitatis, & recreator electorum tuorum, formasti me, cum non essem, reforma me, cum sim deprauatus, cor mundum in me crea, pone tabernaculum tuum sanctum in medio mei. Vides hanc ruinosam & deformatam fabricam, suffice noua elementa nouis viribus, subministra noua alimenta nouo homini. Succende in me per spiritum caritatis celestem erga te, & proximum meum, caritatis ignem, adiunge humilitatis spiritum omnibus se subiicientem, & omnia penetrantem. Timorem tui inde visceribus meis, tollendo cor lapideum, & restituendo mihi cor carneum tui obseruantissimum, & largire mihi imbelli in fide, & vita

sanctæ proposito constantiam, perseverantem, usq; ad diem Iesu Christi Domini mei, lux caritatis, o Deus, fac in me exserta flamma fulgeat, & luceat multis, calefaciat plures. Sanctus tui timor omnem prave concupiscentiæ ardorem exstinguat, gravem me in sanctitatis studio reddat, deorsum alta sapientem retrahat, inducat castitatis albedinem & candorem, luxuriantes appetitiones constringat, ab omni malo merefleat. Vera humilitas pariat devotionem & promptam obedientiam, emolliat cor durum & aridum, labem vitiorum tergat. Constantia pietatis & probitatis fulciatur gratia tua, qua me in hac miseria præparet participem future gloriæ in Christo Iesu promissæ & omnibus electis communicandæ in cælis. Amen.



D E

CAPITE HO-
MINIS SPIRITV-
ALIS.

CAPUT XXXIII.



Membra corporis iam consti-
tuti sunt aut CONIUNCTA
aut SIMPLA.

Membro-
rum cor-
poris di-
visio in
coniuncta
& simpli-
cia.

CON-

Co
muni
tine
CA
memb
oficin
organa
CAP
trystic
enim d
cesiam
est cap
notum
est. Ep
est mul
ipse
I.C
eius di
It enim
flute, fa
II. Capu
cerebro
sensuum
membri
II. Cap

CONIUNCTA, quæ nomine cō-
muni multa simpla coniunctim cō-
tinent. Vt *Caput & Truncus*.

*Coniūcta
qua.*

CAPVT est in homine naturali
membrum cōiunctum supremum,
officinam rationis, principium &
organa sensuum ac motus continēs.

CAPVT vero hominis spiritualis
mysticum est Christus Iesus. *Deus
enim dedit Iesum caput super omnem Ec-
clesiam, quæ est corpus ipsius. Ephes. 1. Ipse
est caput corporis Ecclesie. Col. 1. Ex quo
totum corpus compactum, & connexum
est. Eph. 4. Et quemadmodum vir caput
est mulieris: Ita Christus caput est Ecclesie,
& ipse saluator corporis sui. Eph. 5.*

*Caput ho-
minis spi-
ritualis
quod.*

I. Conditio enim capitis veri est
eius dignitas & præstantia. Antecel-
lit enim ordine, situ, structura, venu-
stas, facultatibusq; cetera mēbra.

II. *Caput* motum & sensum, cum a
cerebro nerui, qui sunt motuum &
sensuum organa, oriuntur, reliquis
membris impertit.

III. *Caput* est instar consultoris ac

moderatoris, rectorisq; ceterarum partium. Hinc & ciuitatum præfides capita nuncupantur.

IV. *Caput* deniq; est eiu:dem naturæ cum aliis corporis sui membris.

Ita & Christus caput Ecclesiæ suæ adeoque hominis spiritualis, qui corporis illius est membrum, excellit ordine, dignitate & perfectione. Primogenitus omnis creaturæ, & prædestinatorum primus, cui nomē supra omne nomen datum, cuique terrestria, cœlestia & inferna flectūt genua. In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi. Speciosus est præ filiis hominum.

II. *Fons* est, ex quo omnis spiritualis vita, motus & sensus in membrum corporis sui, deriuatur ac influit, omnium gratiarum plenitudo in ipso habitat. Vnde *gratiam pro gratia accipimus.*

I. Impertit autem Caput hoc mysticum membris suis, i. *Sensum cognitionis.* Illuminat enim *omnem ho-*

mi-

mem
I. I
motu
g oria
tem ac
III. T
taiseff
de fide
t dine
Corrib
Hic d
mihil
t & m
hoc c
mur,
IV. C
Homin
corpus
iconei,
ex nobis
V. Cor
bris suis
militis fac

minem venientem in hunc mundum.

II. Impertit spiritualis vitæ sanctū motum, quo ad gratiam, & inde ad gloriam peruenitur. *Nemo enim ad patrem accedit, nisi per filium.*

III. Tribuit motum amoris & caritatis efficaci, vt hæc sancte operando fidem contestetur. De plenitudine eius, qui vnctus est præ confortibus suis, omnes accepimus. Hic dat velle & perficere: sine ipso nihil facere possumus: in ipso inserti & manentes multum fecimus. In hoc capite nostro viuimus, mouemur, & sumus.

IV. Caput hoc dirigit & gubernat hominem spiritualem, imo totum corpus suum. Nos enim non sumus idonei, quidquam cogitare tanquā ex nobis.

V. Conforme est hoc caput membris suis: per omnia enim nobis similis factus est, excepto peccato.

ORATIO AD DEVM,
filium IESVM.

O PATER CAPUT
NOSTRUM.

V Nigenite fili Dei Patris, Iesu Christe, sub te
& in te capite meo, membrum ego corporis
tui imbellem & despectum, uiuam, moueor, sum,
gaudeo. Tu mihi etiam datus es a patre meo, ca-
put omnium sufficientissimum, cuius superemi-
nentiam dignitatis, potestatis & regiminis ad-
mirari satis non possum. O plenum vita, sensu &
motu uiuificante caput, subministra mihi misero
membro tuo necessaria omnia, quibus opus est,
ad vitam agendam spiritualem, deriva in me
spiritum tuum cum gratiosis tuis donis, da spiri-
tus vitam, motum ac sensum. Tu enim omnia in
omnibus completes, tu das corpori tuo vitam ac sa-
lutem. Da motum & sensum mihi gratie tue, ut
in caelis aeternum tecum coniunctus videam te,
& fruatur gloria, quam diligentibus te prepara-
uit pater noster caelestis. Trahe me post te, illu-
mina oculos meos, da velle & perficere id, quod
sanctum est coram te, & dirige usque ad vltimum
halitum gressus meos: dirige, inquam, in con-
spectu tuo viam meam, doce manus meas ad
prelium: prohibe pedes meos a lapsu,
& te caput meum celebrabo in se-
cula seculorum, A-
men.

Q

DE
COLLO ET
CERVICE.

CAPUT XXXIV.

Truncus.



TRUNCUS est in homine naturali reliqua pars corporis capiti subiecta reliquarum facultatum organa continens.

Trunci partes sunt *Collum*, & *Collo subiecta*.

COLLUM est pars superior trunci sustentans caput, in quo etiam tanquam in basi & erecta columna vertitur.

Huius pars auersa a capite ad spinam tendens est *Cervix*.

Collum spirituale quid.

I. COLLUM SPIRITUALE hominis spiritualis, aliis est *Fides*, qua capiti nostro Christo copulamur, a quo capite per fidem omnis virtus in corpus mysticum defluit.

Fides.

Vinculum hoc capitis & corporis

homo

homo saluum tueatur, abique hoc nemo Deo placet, nemo Christo vnitur, nemo saluatur. *Omniū inquit Augustinus bonorum fundamentum, & humane salutis initium fides, sine qua nemo ad filiorum Dei consortium potest peruenire. Cyrillo. Ianua & via est in vitam, & recursus quidam ac reductio a corruptione ad immortalitatem.*

II. Aliis est erecta liberaq; hominis voluntas, quæ capiti Christo copulata vim gratiæ traducit per cetera mēbra in opus fidei & caritatis. Hoc collum est in omnes partes flexibile, idque auxilio neruorum accensæ caritatis erga DEVM & proximum.

*Libera
hominis
voluntas.*

III. Alii collum hominis interni esse scribunt *Spem*, quæ fidei coniungitur, & humeris tolerantia innitur. Hoc collum est *altum*, quia tendit ad cœlestia: *erectum*, quia ad terrena non deflectitur: *rotundum*, pietatis candore, *firmum* constantia & fortitudine Christiana.

Spes.

Q 2

Qui tolerat, sperat: qui sperat, non confunditur. Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio spem, spes vero non confundit.

Hoc collum interdum aduersarius laqueo desperationis illigare contendit, ut ita hominem diuinæ misericordiæ diffidentem ad æternos trahat cruciat⁹. *Peccare, inquit Chrylost. est mors animæ, sed desperare est ad infernum descendere.*

*Cervix
spiritualis
hominis.*

CERVIX spiritualis hominis est Ambrosio fortitudinis virtus, qua diuinæ legis iugum, & spiritualia onera libenter & constanter feruntur.

Hanc cervicem non impinguet luxuria, non induret pertinacia, sed extenuet temperantia, emolliat humilitas, iugoque suavi & leui obedientia subiiciat. Christi igitur iugo subiiciatur:

*Sarcina cum soleat quævis onerosa videri,
Sola tamen Christi sarcina, corda leuat.*

Ex-

Exhortatio ad Hominem.

O Homo Dei, fuge collum extentum super-
 bia & elationis, fuge cervicem duram &
 pinguem inobedientie. Collo tamen tibi opus est,
 fac a Deo patre luminum & munerum, petas &
 habeas collum fidei, & spiritus, quo Deo & capi-
 ti tuo Christo coniunctus inseraris, ut inde ad te
 dimanet rivus salutis. Collo fidei innecte spem
 certam expectantem aeternae felicitatis possessio-
 nem, necessaria & utilia ad beatissimam illam
 felicitatem obtinendam: habentem certitudinem
 divinae tuae in Christo electionis. Nullis te sine de-
 sperationis vinculis constringi, pugna aduersus
 desperationis spiritum, meditando Dei infinitam
 misericordiam, Christi Jesu sufficientissimum &
 efficacissimum meritum, & veritatem diuinarum
 gratiae promissionum. Tolle iugum Christi illudque
 impone cervici tuae, cui semper in hac vita fere-
 dum iugum, cur non itaque Christi iugum suave
 & onus leue suscipis? Ad illud ferendum Chri-
 stus summopere te iuvat. Non illi oneri, quod
 a Satana, carne, & mundo imponitur, sed il-
 li, quod a Christo Domino, cervicem tuam sub-
 iice, cum CHRISTO perfer perpetuanda, par-
 tit patientia palmam: cumque te humili-
 aueris & sub onere laboraueris, ab ipso re-
 ficiaris, & cum ipso coronam aeternae
 gloriae consequaris.

ORATIO AD DEVM,
ex D. Bernhardo.


SEPTem ego in me video misericordias tuas Domine. Prima est, quod a multis peccatis adhuc in seculo positum custodiueris. Quis enim non videat, quod sicut in multis cecidi, sic & in alia poteram cecidisse peccata, nisi omnipotentis pietas me conseruasset? Et hac quanta dignatio pietatis, quod ingratum & paruipendentem sic gratia conseruabas, quod in multis contrarium, & contemnentem nihilominus ab aliis benignissime protegebas? At secunda miseratio tua super me Domine, quonam poterit explicari sermone? quam benigna, quam liberalis, quam gratuita fuerit? Ego peccabam, & tu dissimulabas, non continebam me a sceleribus, & tu a verberibus abstinebas, prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, & tu Domine pietatem tuam. Sed quid pdesset expectatio, nisi sequeretur penitudo: cumulus esset damnationis, dicente Domino: Hec fecisti, & tacui. Tertia proinde miseratio fuit, quod visitasti cor meum & immutasti, ut amara fierent, quae male dulcia prius erant, qui laetabar cum malefacerem, & exultabam in rebus pessimis, inciperem demum recognoscere annos meos, in amaritudine anima mea. Et nunc Domine commouisti terram cordis mei, & conturbasti eam, sana contritiones eius,

quia

quia commota est. Multi enim pœnitentia ducti sunt, sed infructuosa, quoniam pœnitentia eorum reprobata est, sicut & prior culpa. Itaq; & hæc miseratio quarta fuit, quod pœnitentiam misericorditer suscepisti, ut in eorum numero inuenirem, de quibus Palmista? Beati, quorum remissa sunt iniquitates. Sequitur misericordia quinta, per quam mihi continendi deinceps, & emendatus viuendi præstitisti virtutem, ne reciduum paterer, & esset nouissimus error peior priore. Omnino enim manifesta tuæ, Domine Deus, & non humane virtutis, susceptum semel peccati iugum a ceruicibus excutere, quoniam amnis, qui facit peccatum, seruus est peccati, nec est liber, nisi in manu forti. Jam vero postquã in his quinq; miserationibus a malo liberaueris, ut fiat, quod scriptum est: declina a malo, & fac bonum: in duabus aliis bona largiris. Indulges gratiam & munus bonæ conuersationis, das spem obtinendi, qua donas mihi indigno & peccatori de tua toties experta bonitate vsque ad cœlestia speranda præsumere. O Deus, ne derelinquas me, potius confirma in me opus, quod es exorsus, ut in te sim, mouear,

viuam æternum,

Amen,



Q 4

D E
P E C T O R E E T
V E N T R E .

C A P V T X X X V .



O illo subiecta pars in Naturali homine est *Media* vel *Extrema*.

MEDIA est *Anterior* vel *Posterior*.

ANTERIOR est *Pectus*, seu *thorax*, & *Venter*.

PECTUS est media pars anterior a collo ad ventrem vsque contingens, præcipue fontem caloris, micationis & respirationis organa continens: est lata, concaua, ossibus munita, & mammillis ornata.

PECTUS SPIRITVALIS hominis alius est ipsa *Mens* & *Sapientia mentis*. *Mens* scilicet, caritate lata, Dei donis & gratis contexta & munita, humilitate conacua, mammillis misericordiae & liberalitatis or-

*Pectus ho-
minis spi-
ritualis
quod.*

na-

nata, cor sapientiæ cœlestis, & pulmones Dei laudes spirant, & continent.

Sapientia, nempe, qua fouenda & conseruanda animi interiora viscera, vt inde vitales spiritus generati, in reliquum corpus diffundantur.

Aliis vero Pectus spirituale est, *Christiana magnanimitas*, quæ contendit ad magna virtutum omnium officia & actiones, quarum comes sit magna gloria.

*Magna .
nimitas
Christiana.*

Homo itaque spiritualis magnanimus est, & pectus habet, in pietatis & probitatis actionibus magnis producendis, non diuitias, non honores, non regnum ipsum, nõ quicquid in Mundo magnum quispiam esse dixerit, magni æstimat, sed omnes animi vires viriliter ad futuræ vitæ præparationem intendit.

Contempto humano honore vult & audet magna ad Dei gloriã, & diuinitis assumpto robore animus

Q 5

eius ardescit optare & obire maiora ad Dei gloriam, & hominū salutem.

Venter
spiritua-
lis homi-
nis qui.

VENTER in homine spirituali media pars trunci anterior complectens Nutritionis & Generationis organa. A pectore incipit, & deorsum versus pubem extenditur.

Venter
aqua salis
patis.

Spiritualis hominis venter est, *Venter aqua salientis in vitam eternam*, de quo Christus Ioan. 7. *Qui credit in me, sicut ait scriptura, flumina de ventre eius fluent aqua viva.*

Pia mens,
conscientia

Aliis venter est, *Pia mens & conscientia*, quæ continet viscera, nimirum cor intelligentiæ, iecur affectionis puræ, fel contritionis, splenem consolationis & spiritualis risus.

Venter speciatim pro stomacho seu ventriculo acceptus in homine nouo est, qui contemplando, meditando, seq; ipsum purgando & afficiendo cibo & potu repletur spirituali, ad spirituales hominis interni nutritionem & auctonem.

Exhor.

Exhortatio ad hominem.

Pectus in pectore tuo fac habeas, homo, qui vis Dei vitam ducere, mens illud animet, sapientia exornet, & luce sua illud collustret, magnanimitas illud armet, & ad magna capeffenda & obeunda inflammet. Aude leonino pectore & aggredere animo forti magna & facienda & perpetienda pro aris veritatis, pro focis pietatis.

Maximum premium paratum magnis actionibus. Magna promisit, qui magna precipiendo docuit: ut magnitudo muneris ad fortitudinē incitaret laboris. Magnum te virtute & sanctitate oportet esse, qui Deo tam magno Domino famularis. Pectori tuo subsit venter, ex quo flumina aqua viva fluant. Si vacat, reple ventrem aqua saliente in vitam aeternam, qua orem suum exstinguit & appetitionem sedat, ne impleas ventrem tuum concupiscentia, luxuria, & noxiarū appetitionum humoribus & sordibus, e quibus incensis febris infernalis solet oriri. Et pectus Deo & virtuti animose militet, & venter luxum egerat, temperantiam ingerat, ut cibo vita aeternae pasci possit.

ORATIO AD DEVM.

Omnipotens rerum omniū opifex Deus, dedisti corpori naturali pectus, adde insup mihi pusillanimo, pectus in te ad viam mandatorū

tuorum currendam animosum. Pectus deest pe-
 Etori, da huic mentem, da sapientiam, da magna-
 nimum robur. Magnus dominus meus, magna
 virtus tua, magna mihi fecisti, dedisti, qui potens
 es. Magna enim est misericordia tua. Ego vero
 tibi seruire, immane quantum discipiens, sum
 pusillanimus, da animum animo, adde pectori
 magnitudinem. Magna audeo coram te, faci-
 em tuam requiro, ut promissa mihi bona obtine-
 am, confirma me, & arma pectus robore tuo, quo
 etiam coram hoc mundo cum virtute in fide per
 bonam conscientiam magna audeam & obeam
 ad tui nominis gloriam, & hominum salutem. Da
 dicam cum Apostolo: tristis, at semper gau-
 dens: Egens: at multos interim ditans, nihil
 habens & omnia possidens. Repletus sum conso-
 latione, & superabundo, in omni tribulatione,
 gaudio. Quod ut fieri possit, deple ventrem me-
 um noxiis humoribus, purga ab omni malitia
 mentem, reple vero cibo & potu caelesti, refice me
 aqua saliente in vitam eternam. Da caueam ne
 unquam venter meus terra adherescat. Auf-
 fer a me ventris concupiscentias, quibus mens
 deprimatur ac vilescit. Ne mihi unquam venter
 Deus sit, sed tu sis maneatq; Deus, pater, & ser-
 uator meus perpetuo propter Christum Je-
 sum meum. Amen.

RS
 9

DE



D E

HVMERIS, DOR- SO, ET LATERIBVS.

C A P V T XXXVI.

Dosterior pars trunci est
HVMERVS & DOR-
SVM, vtrinqve vero est
LATVS.

HVMERI in naturali homine
sunt posteriores partes collo sub-
iectæ, interiora defendentes, bra-
chia connectentes, onera ferentes,
collum & caput sustentantes.

Humerus vero hominis spiritua-
lis potest esse mutua mystici corpo-
ris, & in eo membrorum operatio,
ædificatio, & Christiana vitæ socia-
lis communio, in qua homo spiritu-
alis alteris portat onera humeris;

*Humerus
spiritualis
quod.*

f. aeternæ

fraternæ tolerantia, vt vicissim Deus nos humeris suæ tolerantia misericordis, & longanimæ mansuetudinis portet.

Homo itaq; spiritualis humeris Christianæ tolerantia portat onera fratrum & sororum ad ædificationem, fert fratres infirmiores, suffert calamitosæ vitæ huius miseriam, subiicit suos humeros suavi iugo Christi, iniicit pedem suum in compedes diuinæ voluntatis, & in torquem diuinæ legis collum suum.

DORSUM hominis spiritualis item est eiusmodi Patientia, quæ stabili & constanti voluntate onera & correctionem Dei fert. Hoc nunquam dorsum se Deo per impatientiam vertit, quantumuis ab eo, multis & magnis calamitatibus oneretur, quia Deus, quem diligit, castigat. *Virga, ait Sapiens, in dorso eius, qui indiget corde.* Ponit Deus tribulationes in dorso, vt tandem reducat ad refrigerium. Dorsum Deus nostrum

premit

Dorsum
hominis
spiritualis.

premit
led fa
perdit
Ex
H
vit
serari
ni per
oleram
qua ad
erius p
era, pe
ter, qu
mus hoc
in corpo
expans
nam
proxim
mare, d
prias. z
tenus, ut
Dei imple
da in an
Viles hui
Diabolo
summis lab
num erum

premit & onerat, ne suum tergum, sed faciem ostendat nobis in die perditionis.

Exhortatio ad Hominem.

Humerus tuus, homo, a iunctura ne cadat, vitam socialem per impatientiam ne desere, seruari in corpore Christi concordia non potest, nisi per solam patientiam, qua a quo animo mala toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per qua ad meliora perueniamus. Si spiritalis es, alterius porta etiam onera, infirmum fratrem tolera, perfer onus, quod ferre necesse est: leuius fertur, quod patienter fertur: ab humeris tuis onus hoc aliquando auferet Deus. Porta Deum in corpore tuo, & ipse te humeris suis portabit, expandet super te alas suas. Porta amando proximum, sicut te diligendo baiulat Deus. Tantum proximum portabis, quantum amabis. Si desistis amare, desistis portare, quem minus diligis, minus portas. Amemus ergo multum, ut multum portemus, ut multum portando per caritatem legem Dei impleamus. Domini mandatum, est mandatum amoris, quo nihil suauius, nihil leuius. Vides huius seculi homines onera grauissima, a Diabolo & mundo ipsorum humeris imposita, summis laboribus & impensis ferre. Hi inclināt humerum & cervicem ad opera facienda Regi

Babylonis, scilicet Satanae: cur nostros humeros non subiicimus regi caeli & terra, ad faciendam eius mandata? Portant illi onera graui peccatorum, quae in profundum demergunt infernum. Ab his oneribus humeros tuos, homo, subtrahere, ne dum ad caelos leuis remeare cupis, grauissimis repressus oneribus labens in orbem precipiteris. Ita uide, ne Deus tibi dorsum & non faciem ostendat suam. Deo ne da tergum tuum, si dederis, in manus Satanae incidet, & Deus tibi etiam dicet. Ierem. 2. Verterunt ad me tergum & non faciem: Et in tempore afflictionis dicent: Surge & libera nos: sed ego dicam eis: Surgant Di tui, quibus seruisti, & liberent te.

Oratio ad DEVM.

TV, Pater misericordiae, Deus longanime, & clemens, nosti, quid humeri mei ferre valeant, quidue recusent, corrobora me fortuito robore, & impone onus, quodcumque volueris. Tolerame, porta me, & portando protege; scapulis tuis obumbra me. Sperat anima mea in te: custodi me, ut pupillam oculi tui, & tanquam aquila super me expande alas tuas: assume me tanquam pastor ouiculam tuam, & humeris tuis porta. Tu Deus, qui portas omnia verbo potentiae tuae, porta me, ut portem te in corpore meo. Patiens Deus es, prohibe per spiritum tuum, ne diuitias bonitatis,

pa.

patientia & longanimitatis tue contemnam. Patiens Deus es, patientia me arma lorica, ut crux filii tui Iesu cordi meo impressa patientia eius exemplo me erudiat. Cor meum aperiri, ut patientia in eo radices altiores, ut dorsum meum ad onera tua suscipienda prompte exhibeam, ut tuo dono non tantum in Christum servatorem credam, verum etiam pro illo patiar, ut tandem aeterna gloria potiar. Amen.

LATERA sunt in homine naturali partes sub ala & brachiis inter anteriores & posteriores trunci partes medias, quibus viscera & intestina defenduntur, & septem utrinque costis constituuntur.

In homine spirituali duo latera animæ sunt *Spes & Timor Dei.*

SPEI LATVS desperationi resistit: Timoris vero securitati sese opponit: hæc enim duo pessimum apostema in pectore animæ gignere consueverunt. Itaque hominis interni vita his duabus virtutibus quasi duobus lateribus contineri debet: cum inter spem & timorem filialem in fide maneamus.

Latera in homine spirituali. Spei latus

R

Spes ad æternitatem animum erigit, & idcirco nulla mala, qui sperat, sentit. Verum de spe frustra gloriatur, qui timere Deum in operibus vitæ renuit. Spes calcaria addit, timor frenat.

Latus spei est latus dextrum, a quo cadūt decem millia inimicorum ad desperationem inducere volētium.

*Prover. 3.
Iob. 17.*

Nouit enim is, qui recte sperat, Deum sibi ad latus stare, cui inquit: *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Super hoc latere homo spiritualis dormit & requiescit.

Latus timoris.

Latus timoris est quasi latus sinistrum, in quo dum dormit per securitatem ab angelo percutitur, atque a somno suscitatur, & e carcere liberatur.

DE

BRACHIIS,
MANIBVS ET DIGITIS.

CAPVT XXXVII.

Extremæ

Man
cloracia
vix exle
nent o
Har
cōstan
orie di
Br
est men
ad leu
cendu
cōstrin
oti cor
unt: id a
curne ne
ct.
Homin
iacentes
pressos d
plos erig
operatur



Xtremæ partes trunci in naturali hominæ (*quasi rami & radices in arbore*) sunt Manus & Pedes (*vocibus ample sumtis.*)

Manus sunt extrema membra thoraci annexa, quæ variis negociis vitæ exsequendis accommodata continent organa.

*Manus
spiritualis.*

Harum partes præcipuæ, quibus constant, sunt *Brachium & Manus* proprie dicta cum digitis.

BRACHIVM in homine naturali est membrum forte, agile, idoneum ad leuandum, portandum, defendendum, repellendum, erigendum, cōstringendum & operandum: quæ toti corpori & sibi mutuo inseruiunt: id amplexantur, quod cor amat; carne nervis & ossibus sunt compacta.

*Brachium
spirituale.*

Hominis igitur *spiritualis brachia*, iacentes leuant, debiles portant, oppressos defendunt, hostes repellunt, lapsos erigunt, fratres amplexantur, bona operantur, & cœlū rapiunt se mutuo &

cetera corporis mystici membra iu-
uāt; constant ossibus constantię, ner-
uis pietatis, carne humilitatis.

Vel, duo brachia hominis spiritua-
lis Metaphorice sunt duo charitatis
affectus; alter in Deum patrem, re-
demptorem & consolatorem; alter
in hominem, quem propter Deum
sicut nos diligere debemus.

Item Brachium hominis iusti est
consilium, auxilium & robur diuinū,
quod Deus, dum in hac spirituali
militia versamur, nobis confert. Ipse
enim *ponit ut arcum aureum brachia no-*
stra Pl. 7. Hoc cum brachio omnia, hoc si-
ne nihil possumus. Omnia possum in eo, in-
quit Paulus, qui me confortat.

MANVS vulgo dicitur organum
dationis & acceptionis.

MANVS SPIRITUALIS est sanctę
& Deo placentis operationis execu-
tio. Hęc debet esse annexa brachio,
diuinę virtuti operatrici, constare
etiam pluribus ossibus & nervis, a-
gendi scilicet virtutibus solidis & a-

Et uosis.

*Manus
spiritua-
lis qua.*

Et uosis.
tua infer-
nus eni-
capit, cit-
totum co-
conferuan-
deoc; eas
portet. L
Deum in
ergo viros
ras Man-
Nih
hoites q
Dum ha
rae', dur
leuat ite
caelo fib
Exten
spir. tualis
quo Proue
perit inopi,
peren; hic no
ribus niuis.
Sunt restiti
etur: Date
claudent en

Et uofis. *Manus* hæc toti corpori spiri-
tuali inferuiunt, & feipfas iuuāt, Ma-
nus enim manum fricat, exornant
caput, cibum & potū ori admouent,
totum corpus mundum & nitidum
conferuant, modo ipse sint nitidæ: I-
deoq; eas inter innocentes lauare o-
portet. Leuare item has oportet ad
Deum in nomine Dei. 1. Tim. 2. *Volo*
ergo viros orare in omni loco leuantes pu-
ras Manus sine ira & disceptatione.

Exod. 17.

Nihil fortius contra spirituales
hostes quā manus ad Deum leuare.
Dum hæ manus leuantur, vincit Is-
rael, dum deprimuntur, vincitur. E-
leuat item manus in cœlum, qui in
cœlo sibi thesauros condit.

Extendere etiam debet homo
spiritualis manus ad pauperes, de
quo Prouerb. 13. *Qui manum suam a-*
perit inopi, & manus suas extendit ad pau-
perem, hic non timebit domui suæ a frigo-
ribus niuis. Omnes enim domestici eius
sunt vestiti duplicibus vestibus. Huic di-
cetur: *Date ei de fructu manuum suarum*
& laudent eum in portis.

Iob. 13.

Cum denique manibus apprehēduntur & retinentur res, homo spiritualis, diligēter mundet manus suas, ne qua macula illis adhæreat, vt possit cum Iobo dicere: *Si in manibus meis adhaesit macula.* Caueat sibi a manibus impuris, leprosis, pilosis, dissolutis & sanguine infectis.

Digiti spiritualis.

Digiti in homine naturali sunt manus partes, quæ tribus particulis totidemque articulis constant, quibus apprehendimus, constringimus, & alia multa operamur: Sunt graciles, mobiles, recti, distincti, maiores & minores, armati & ornati unguibus, in ambabus manibus numero decē, in altera quinque.

Digiti hominis spiritualis, sunt nouæ vires quibus sancte & proxime operatur. Hi digiti debent esse humilitate graciles, diligentia mobiles, iustitia recti, discretione distincti, virtute fortitudinis & perseuerantiæ armati, numero decem, vt decem diuinæ legis præceptis sancte viuendo obedire se assuefaciant, triū

vir-

virtutu
quali
Qu
appren
quinq;
reina
cuncta.
Cum
liquid
est, v
eptis
am i
ordis
cui:
meta
O
Indic
& sanc
um, qua
Sipug
peratore
digitos
lit: ab ec
culter h
terit ma
v: script

virtutum Theologicarum articulis,
quasi vinculis, colligati.

Quinque digiti, quorum virtute
apprehendimus omnia, possunt esse
quinque corporis sensus, per quos in-
terna manus attrectat & operatur
cuncta.

*Digiti
quinque
sunt quin-
que sen-
sus.*

Cum interior manus suis digitis a-
liquid sancte operari voluerit, neces-
se est, vt eorū articuli diuinæ legis p̄-
ceptis sint legati. *Liga, inquit sapiēs,
eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis
cordis tui.* Ipse Deus legem ferens do-
cuit: *Ligabis ea in manu tua & erunt im-
mota ante oculos tuos.*

Ostendit etiam homo spiritualis
Indice suo, hoc est, veritate doctrinæ
& sanctitate vitæ aliis errantibus vi-
am, qua ad cœlum itur.

Si pugnandū est, cōuertit se ad Im-
peratorē suū & supplex ab eo petit, vt
digitos suos ad prælia informare ve-
lit: ab eo quippe edoctus, haud diffi-
culter hostes suos superabit: tūc po-
terit manum suam mittere ad fortia,
vt scriptura loquitur.

Exhortatio ad Hominem.

Custodi, o homo, brachium potentie tuae, Deum dico tibi propitium protectorem & adiutorem, in quo omnia potes. Omnipotens enim est, quo si priuareris, agere nihil posses: neque loco huius fortissimi brachii adoptes & adsciscas tibi aliud imbecillam: & infirmum, humanum videlicet auxilium, quo se confidas & innitaris. Falleris enim & audies vocem hanc maledictionis: *Maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Multo minus nitere fortuna, qua nihil fallacius, nec fortuna bonus, labenti enim innitens cum labente collaberis. Firma vero brachium tuum sanctis piarum virtutum exercitiis, Christianos iacentes leua, debiles porta, defende innocentes, repelle hostes, lapsos erige, sanctos amplectere, bona operare, & brachiis tuis sancte usus brachium caeleste tibi conciliabis.

Manus vero tuas lava in innocentia: leua illas ad Deum tuum, idque in ipsius nomine; potius illas ad dandum, quam ad accipiendum extende; cum beatius sit dare: quam accipere. Quando autem dabis, ita des, quasi nihil unquam accepturus, quando accipies, ita accipies, ut cumulatissime sis redditurus. Da caecus, accipe oculus. Nunquam manus tuas

con-

contra
membra
amris
deo ter
fringant
tu domin
pides cura
ad dei glo
uti possi
OR
E Sto
bas
poretri
cormen
tur. No
mi in br
lunbos
chia ver
ciabo bra
ioni. No
meis vis
mea ad te
per spirit
pures ad
tenam: e
adversus h
na, dicitur

contrahas, sed potius eas ad misera Christi membra expande. Cane cum primis ne nimio amoris tui calore hæ manus incalescant, & ideo nerui pietatis contrahantur, digitiq; constringantur, atq; demum tote arescant. Digitus domini Dei tui legem suam in tabulis lapideis cordis tui scribat, ut digitis tuis sancte, ad Dei gloriam, ad tuam aliorumq; salutem uti possis.

ORATIO AD DEVM.

E Sto brachiũ meum, fortissime Deus Zebaoth, de die in diem, & salus mea in tempore tribulationis; Veni in fortitudine tua ad cor meum, ut brachium tuum in me dominetur. Notam fac mihi virtutem tuam, redime me in brachio tuo excelsa, accinge fortitudine lumbos tuos, & robor a brachium meum, brachia vero peccatorum contere, & annuntiabo brachium tuum Domine omni generationi. Manus tua, o Deus, dextera deducat me in viis mandatorum tuorum, ut manum meam ad te in nomine tuo eleuem; Purga me per Spiritum Sanctum sanguine filii tui, ut puras ad te manus, liberales ad pauperem extendam: Aptam manus meas ad pralium, ut aduersus hostes spirituales, in hac ingimilitia, decertando, consistam; Illig a digros meos

*sanctis tuis praeceptis, ut sancte operans bra-
chio, manibus & digitis nihil nisi gloriam di-
uinam & humanam salutem amplificamus,
Amen.*

D E

FEMORIBVS, GENIBVS, CRVRIBVS, & pedibus, &c.

C A P. XXXVIII.

Pedes.

Edes sunt extrema mē-
bra trunci in homine
carnali subiecta ventri,
veluti columnæ erecti
reliqui corporis, quæ continent pro-
gressionis & stationis organa.

*Pedum
partes*

Partes horum generatim dictorū
sunt FEMVR, GENV, CRVS & PES
proprie dictus.

Femora.

I. Femora sunt partes, quæ ab in-
guinibus & ventre ad genua proten-
duntur.

*Femur sps
rituale.*

FEMVR spiritualis hominis vt co-
lunna sustinet vniuersam corporis
superioris partem. Notat itaq; *Con-*

stantiam

stantiam & perseverantiam Christianam.

constātia.

Homo itaq; spiritualis vt sustente-
tur, & permaneat forti cōstantiæ fe-
more indiget, & voluntate permanē-
di & perstandi in veritate & pietate
inchoata opus habet. Hinc firmat
voluntatem in persistēdo in actione
sanctæ virtutis, & resistendo iis, quæ
aduersantur, quæ quidem in hac vi-
ta sunt plurima. Tādē itaq; perstat
cum gaudio, quia laborem sequitur
merces, defatigata femora quies.

Femur nonnullis appetitiones &
illecebras carnis designant, quod fe-
mur debet esse in nouo homine ac-
cinctum gladio continentia & ab-
stinentiæ, quo gladio succrescentes
appetitionum carnalium furculi re-
secandi, & zona castitatis compri-
mendi sunt. Homo itaq; spiritualis
habet ensem femori alligatum pro-
pter timores nocturnos: ne hostis, q̄
in nocte vitæ huius, ad homines ne-
candos accedit, eos voluptatibus e-
mollitos, ac debilitatos inueniat, &
eo facilius sternat.

Exhortatio ad Hominem.

Femur tibi corporis est fulcimentum, progressionis & stationis organum. Constans itaque perseuera & sta in stadio virtutis inchoate. Cum spiritu cœpisti, ne carne consumaris vide. Persiste & innixus femore constantia perseuera, mereberisque tibi gloriam, & virtutibus coronam: absque femore constantia non stabis, non pugnabis, non victoriam consequeris. Vigor virium, virtutum in fide confirmatio. Cave vero tibi ab inguinibus femori adiunctis, ne femur tuum ad mulieres inclinent. Nostin illud Mantuani? cogita mecum;

Ardet in affectu Venus improba, sordet in actu
Efficit atque pudet, præsto patrat opus.
Post factum fecisse pudet, cito præterit illud,
Quod iuuat: æternum, quod cruciabit, erit.

Considera fore si femora mulieribus inclinaveris, ut Deus femora tua coram omnibus hominibus in die iudicii denudet. Ego, ait Deus per Ieremiam, nudavi femora tua contra faciem tuam & apparuit ignominia tua. Ne tantipœnitere emas.

Impuram Venerem sectatur spurca libido.

Excitat, & rapidas carnis amica faces.

Vnde homo fit præceps, inconstans, lumine mentis

Captus, virtutis osor, amansque sui,

Con-

N3.

Contemp
mator
Imperis
II. GE
corum
ligatio. I
consecra
tionem &
Genus
Fides & S
rum De
cotine
humil
virtutis
Fid
um D
cõcil
det co
2. A
uc funt
lomas, qu
fidei funt
roborã
lis cebili
nua mea
Exho

Contempriorque Dei, vehemensque instantis a-
mator,

Temporis, ac misere secula futura timet.

II. GENVA in animali sunt quædã
femorum & cruriũ iunctura & col-
ligatio. Illa Ethnici *Misericordia Dea*
consecrarunt, eorum flexio submis-
sionem & obsequium designat.

Genua.

Genua spiritualia sunt Ambrosio
Fides & Spes, quæ si Deo flectuntur, i-
ram Dei placant, misericordiamque
obtinent. Spes exprimit per genua,
humilitatis affectum, & sedulæ fer-
uitutis obsequium.

*Genua
spiritua-
lia, fides
& spes.*

Fides Deum respicit Patrem, fili-
um Dei accipit redemptorem & re-
cõciliatorem, & Spiritu Sancto gau-
det consolatore.

2. Aliis duo genua in homine no-
uo sunt *illustratus intellectus*, & *flexa vo-
luntas*, quæ omnino Deo in obsequiũ
fidei sunt flectenda. Hæc genua sunt
roborãda virtutibus Christianis, ne
iis debilitatis, quis dicere habeat: *Ge-
nua mea infirmata sunt.*

Ps. 109.

Exhortatio ad Hominem.

Philip. 4.
1. Thes. 3.

STate, o homines Deo deuoti, state succin-
 deti, state in Domino, nisi mus ad confirmā-
 dos vos, scripsimus ad exhortandos & muni-
 endos vos in fide, ne ullus moueatur tribula-
 tionibus. Soluta genua erigite, & gressus re-
 ctos facite pedibus vestris, ut non claudicans
 quis erret, sed potius sanetur. Cauete Christi-
 ani, ne genua ob timorem, pigritiam, ignorā-
 tiam, & prauitatē habeatis dissoluta, ac pro-
 inde facile labamini, aut distorte incedatis.
 Si remissiores fueritis, si flecti faciles, quomo-
 do pugnabitis, quomodo stabitis aduersus a-
 stutias Diaboli? Genua vestra ne unquā cur-
 uate Baal, Deo stultitia, ne unquam, Veneri
 & cupidini, Diis fornicationis, ne furori, ne
 iracundiam flexo adorete genu: ne Mammo-
 ne Deo auaritia, ne ventris Deo qui luxuria
 praeses. Toties Diabolo flectitis genua, quoties-
 cunq; peccatis. O rem lacrymis dignam! quot
 videmus, qui Deo quidem externum flectūt
 genu, internum vero Diabolo! qui cum Iu-
 daeis flexo corporis poplite, Ave, Christo di-
 cunt: ipsum tamen colaphis percutiunt, arun-
 dine cedunt, sputis foedant, flagellis lacerant,
 spinis coronant.

III. CRURA animalis a genibus
 ad imum pedem pertingūt, tybiis &
 furis constant, quorum extrema pars
 est calcaneus.

Crura

genua flectunt
 operantores.

Crura
 sunt,
 que
 rendat
 uina.
 quippe
 portare
 bliten
 spiritu
 sint, n
 tur, f
 faciat
 in ha
 di. Fru
 quam
 Sint f
 a pec
 viam,
 les, ad
 adeoq
 cul

Crura spiritualis hominis dici possunt, promptitudo & facilitas exsequendi diuina mandata, ad percurrendam viam legis & voluntatis diuinæ. Hæc crura debent esse firma, quippe quæ totum corpus spirituale portare & sustentare debent, ne debilitentur aut frangantur, adeoque ne spiritualis cursus impediatur. *Firma* sint, ne vlllo aduersæ rei ictu frangantur, sed vt progressus in via Domini faciat quam laudatissimos; quoniam in hac via nō progredi, est retrogredi. Frustra velociter currit, qui priusquam ad metam peruenerit, deficit. Sint *fortia* crura hæc, ad resiliendum a peccato, ad percurrentem citius viam, ad transiliendos mōtes & colles, ad currēdum per saxa per ignes, adeoque superandas omnes difficultates, & tandem ipsum cœlum inuadendum.

Crura spiritualia.

Exhortatio ad Hominem.

O Homo, quisquis es, qui hic iam dum peregrinaris, Christi vestigia legens durum iter ingressus es, memineris tibi in hac via plurimas esse absorbendas difficultates, & cum hostibus ac impedimentis plurimis conflictandum, Ardua via est, quam metiris,

Perque aspera duro

Nititur ad laudes virtus interrita cliuo.

Exora a Deo exercituum fortia crura, que sortem duram & mitem perferre queant, que sint crura Gigantis instar, quibus a peccato, quod sit tibi obviam, possis resilire, quibus aduersanti satana resistere, quibus illicientis mundi illecebras saluus euadere, quibus citius viam diuina legis citius emetiri, quibus transilire colles voluptatũ, & montes calamitatum, & tandem nulla difficultate fractus, viribus diuinis nixus, in cœlum ipsum penetrare queas.

Pedes.

IV. P E D E S animalis sunt infimæ partes planæ, oblongæ, neruis carne & ossibus compactæ, quibus totum corpus tamquam basibus sustentatur.

Pedes spirituales.

P E D E S hominis spirituales. Origeni, Basilio & Hieronymo sunt,

CA
animare
ro intellige
Spiritu
O spes, qu
mundo a
am mand
Homo
bet hic p
qua con
quirit,
ad Do
Hi
tellect
& solid
da ma
tur, q
sunt, qu
Hi p
aberror
contra c
omni via
st adire
deuis ha
culi.
His p

anima vires sanctificatæ, præcipue vero intelligendi & appetendi, & in iis a Spiritu Sancto generata Fides, Amor, & Spes, quibus peregrinando in hoc mundo ad cœlestem patriam per viam mandatorum Dei tenditur.

Homo enim spiritualis non habet hic permanentem ciuitatem, in qua commoretur, sed futuram inquit, cum peregrinetur a Domino ad Dominum.

Hi pedes, stare debent in *recto*, intellectus & voluntas in *recta veritate* & *solida pietate*, ne se deflectat a via *recta mandatorum Dei. Beati prædicantur, qui sunt immaculati in via; Beati sunt, qui ambulant in lege Domini.*

Hi pedes prohibendi sunt a lapsu, ab errore contra fidem, ab iniustitia contra charitatem. Psalm. 119. *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodirem mandata tua: a via impiorum, a deuiis hereticorum, a vanitate huius seculi.*

His pedibus homo iustus super a-

S

spidem & basiliscum ambulat, & cōculcat leonem & draconem. Hi sunt pedes, quibus in stadio curritis ad brabæum. Pedibus insuper piæ meditationis & deuotæ orationis in aulam summi regis ingredimur, in eaq; stamus.

Exhortatio ad Hominem.

O Beatum illum qui pedes suos sancte custodit nec abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit & in Cathedra pestilentie non sedit. O miseram nostrorum temporum conditionem, qua tam multi à via vera fidei & vite exorbitent, nec pedes in recto statuunt, nec à via mala pedes prohibeant. Quia quisq; pro voluntate & voluptate, viam sibi eligit; & tot sunt via fidei, & vite, quod hominum capita. Ora itaque Deum, ut pedes tuos statuatur super petra, Christo, Magistro veritatis & pietatis; ut non commoueantur in aeternum; ut dirigat eos in semitis suis; ut eruat eos à lacu miseria, luto fecis, & laqueo mortis. Ora Deum ne det pedes tuos in commotionem, ne conqueraris: Pedes mei fere moti sunt, pene ef-

fusi

fusi sunt gressus mei; parum abfuit, quin discesserim à via mandatorum Dei. Lava vero, o homo, pedes affectuum tuorum diligenter, ac implora Christi beneficam gratiam, ut sicut discipulorum, ita tuos pedes lavet; lotis pedibus terram calca, & vide ne iterum eius luto deformatur. Si vero contigerit pulveribus peccatorum in itinere huius vite ac terra eos inquinari, accede ad Christum Iesum precibus, ut iterum sanguine suo te mundet ab omni peccato, ut mundatus in regnum Dei ingredi possis.

ORATIO AD DEVM.

Femora corpori, conditor & conservator sancte, dedisti; da etiam anima mea femora stabilis in virtute constantia, accinge eam gladio temperantia & continentia, ut præcidantur omnes stolones voluptatum ac libidinum carnis, spiritui plurimum negotii facessentium. Genua sana dedisti corpori, da mihi spiritum precum & gratia, qui genua hæc sanctificet ut interna & externa simul tibi ea flectam, tibi inquam genu cordis mei assidue flectam, qui me à servitute Diaboli in libertatem filiorum tuorum vindicasti: nunquam vero illa ulli Baa

aut Diabolo flectam, sed tibi & filio tuo. Tibi
 Deo patri, a quo omnis paternitas in caelo &
 in terris nominatur; filio etiam tuo Domino
 meo, in cuius nomine caelestia, terrestria &
 inferna genua flectunt, ad cuius nomen da-
 mones contremiscunt. Da mihi secundum
 diuitias gloriae tuae virtute corroborari per
 Spiritum tuum in interiore homine. Cura
 item & tybias corpori meo concessisti, forma
 & firma anime cura, ut sustineant totum
 spirituale corpus, ut nullo ictu aduersantis &
 nouercantis fortuna frangantur, ne retarde-
 tur cursus spiritualis, sed ut progressus faci-
 am in via tua Domine, quotidianos, Pa-
 ter, ut non tantum per angustam portam vi-
 am aeternae vite ingrediatur, sed in veritatis ac
 pietatis itinere progrediar, velociter firmis
 cruribus curram, & ad metam feliciter per-
 veniam. Et superatis omnibus difficultatum
 montibus transcendam sedem illam beato-
 rum caelestem. Ambulandum mihi est pe-
 dibus meis, peregrinor a te Domino meo, non
 habeo hic civitatem manentem, ad te omni-
 salvando in Patriam caelestem commigran-
 dum est: Da igitur, pater benigne, pedes mi-
 hi sanos & firmos, qui in loco plano & tuto
 stare, qui in via mandatorum tuorum ala-
 criter decurrere, qui se a via impiorum de-
 flectere, seque a lapsu prohibere possint. Lava

pedes

pedes meos, ubi commaculauero eos luto aliquius peccati in via hac lubrica, ut coram te ambulans, inueniar in Christo filio tuo emundatus, atque ita ad te propius accedam, credendo & amando te tibi appropinquem, eternumque tibi Deo patri meo adhaerescam, & nunquam a te & charitate tua diuellar, qua est in Christo Iesu Domino meo. Amen.

D E

OSSIBVS, CARNE, NERVIS HOMINIS spiritualis.

CAP. XXXIX.



HACTENVS coniuncta membra considerauimus: Simpla dicimus, quæ in coniuncti constitutione continentur.

Suntque *Continentia* vel *Contenta*.
CONTINENTIA iterum sunt *Similaria*, vel *Dissimilaria*.

*Simpla
membra
qua.*

Continentia.

S 3

*Smilia-
ria.*

SIMILARIA membra hoc loco meditabimur, *Ossa, Carnem, & Nervos.*

*Ossa ho-
minis spi-
ritualis
que.*

OSSA corporis ædificium quasi quædam fundamenta & fulumenta sustinent.

Fortitudo.

OSSIBVS in homine spirituali respondent omnia, quæ in animo eius sunt firmiora, vel *Virtus*, qua præditus, dura & graua sustinet, vti est *Fortitudo*, quæ cum deficit, vigor omnis elabitur. Vt enim in ossibus est fortitudo corporis, ita & in fortitudine est robur animi: plane debilis est omnis animus, qui non fortitudinis virtute est fultus. Hæc labores mortisque pericula constanter suscipit & perfert. Hæc timorem ex animo Christiani pellit, fiduciamque animo largitur, hæc hominem constantem in consiliis rite susceptis, ad pericula etiam mortis promptum, ad mala quæcunque etiam grauissima toleranda paratum efficit.

Fortitudinis osse & fulcro sustine-

netur

netur pulcrum ædificium hominis spiritualis; hoc enim defendit virtutum omnium fundamenta, custodit sana iudicia, inexpiabili prælio aduersus omnia vitia decernit, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, dura aduersus illecebras quibus aurem deferre nescit, nec, vt dicitur, *Aue* dicit, pecuniam negligit, auaritiam fugit, tãquam labem quãdam quæ virtutem effœminat.

Exhortatio ad Hominem.

Cum multa homini pio progredienti in via salutis ad vitam sint perferenda, memineris robusto tibi opus esse animo. Ossi- bus stabiliendum & fulciendum est ædifici- um spirituale, ne ruinam minitetur. Fortitu- dinis spiritu animam tuam confirma. Timi- ditatis spectra, & pusillanimitatis laruas expelle, quibus mens tua contabescit, stupent oculi, omne quod prius prosperum arridebat, euanescit, lux ipsa fastidio est, & sola se in a- nimo tenebræ effundunt, nihil quod delectat a- spicitur, triste est quicquid occurrit. Has mē- tis tenebras fortitudo excutiat, has angustias

conscientia robur animi sanet & soletur. Os-
sibus igitur stabilitor & communitor forti-
tudinis, ut spe divina providentia confligens
cum angoribus pusillanimitatis te erigas, ut
magna animo te met obicias, confidendo di-
vino auxilio, phantasmatum meticulorum
turbis, ut humilitate occultiozem superbiam
prosternas, ut amoris proprii affectionem ab-
sumas. In militia positam militem oportet esse
armatum, & in actu mori.

ORATIO AD DEVM.

Ossibus, o Deus fortitudinis, corpus me-
um sustines & communis; fortitudine
animam meam arma, pusillanimitatis spe-
ctris perterritam. Tu es fortitudo mea, & re-
fugium meum, tu salus & laus mea Domine.
Fortitudo mea es, proinde da ut animi mei
motus ita sub ratione moderer, ut terram &
ossa corporis mei sub tua obedientia in pace
possideam. Contra omnia vitia, inuicta pro-
tectione me corrobora, ut animum meum nec
blanda dissoluant, nec aduersa deiciant. Sis
semper animi mei fortitudo, ut nullis coenali-
bus desideriis cedam, nullis voluptatibus in-
dulgeam, sed te fortiter amando Christum
meum magno animo sequar. Amen.

C A R O

CARO proprie dicta in animali quid sit constat: In spirituali adhuc in terris militante etiam Caro improprie dicta, seu *affectio* quædam *carnalis* & *peccatum* adhærescit.

Caro spiritualis.

Non enim est homo noster nouus ex omni parte perfectus ita vt sit omnino extra carnem & sine carne; si quis enim dixerit *se peccatum non habere*, *seipsum seducit*, & *veritas non est in eo*. Homo itaq; spiritualis in hac vita gestat carnem, humanos affectus & appetitus carnales. Hæc caro est *fomes peccati*, hæc pugnat aduersus spiritum; & spiritui debet esse subiecta, diuiniq; timoris stimulo est *configenda* & *cruci affigenda*.

Exhortatio ad Hominem.

CARO & sanguis regnum Dei non videbit: Tu igitur si eam ingredi voles, fac *mortifises* & *crucifigas* carnem, vt *deposi.* o *homine veteri*, induas te nouo, & mundus in *iudicio* reperiare: Nihil enim *immundum* Dei regnum intrabit. Cogita itaque carnem *hanc esse peccatum*, omne peccatum Deo vt

repugnat, ita displicet, peccatum hoc si in a-
 ctum prorumpit, Spiritum sanctum contri-
 stat. Carnis foeditas animam viri iusti tur-
 pitudine sua foedit; Coerce carnem homo.
 Carnis peccata non inulta dimittit Deus nec
 impunita; refrena carnem homo. In quoti-
 dianis peccatis timenda est ruina multitudi-
 nis: doma carnem tuam homo. Caro tua, ho-
 mo, obscurat conscientiae lumen, minuitq;
 Charitatis ardorem, resistit spiritui, ut ex-
 cludat te caelo, si modo potes carnem mortifi-
 ca ne sis carnalis, sed spiritualis.

ORATIO AD DEVM.

O Spiritualem sine omni carne spiritua-
 lem, quam beatum dixerim, In me,
 hoc est in carne mea, non inhabitat bonum:
 sentio & persentio carnem in membris repu-
 gnantē spiritui meo, adiuua me, Deus, conan-
 tē crucifigere & mortificare carnē, meditan-
 tem me ipsum abnegare. Velle mihi adiacet,
 perficere nō inuenio. Ah Caro, Caro, utinam
 nunquam mihi esses caro, semper esses in me
 rara, quantum negotii mihi faceffis? Nisi tu
 Deus miserum & defatigatum onere huius
 carnis me liberaueris, nunquam liberabor.
 Adiuua igitur me, nec desere tuum auxilium
 cum gemitu implorantem. Libera me ab

hoc

*per est certus
 iudicium.*

hoc malo, & aeternum nomen tuum sanctum sanctificabo.

NERVI porro in homine animalium sunt organa, quibus fit sensio & motio.

NERVI hominis spirituales Chrysofostomo sunt *Orationes pia ac deuota*. Nam qui nō orat dissipatas atq; dissolutas sui corporis partes habet; qui vero ardentem orat, vinculis quasi totus sibi & Deo vnitus & collectus est. Et qui non se colligit, orare nequit, ac propterea totus dissipatus dissolutusq; absq; nervis existit: qui non orant, habent manus laxas, genua dissoluta, brachia dispersa. Ligat vero oratio omnia spiritualis hominis ossa & partes, opera, virtutes & animi vires, & ne corpus spirituale dissoluatur, efficit, Per *nervos* orationis sentimus & tāgimus res spirituales: his nervis, qui carent, bona aeterna non tangunt; nec suauitatem spiritualē gustant; nec quae Deus loquitur audiunt: nec denique fragrantis virtutum odores percipiunt. Per hos

Nervi hominis spirituales qui.

Nota

neruos acquirimus fidei sanctæ motum, & sanctimonix efficacem sensum.

NERVI orationis piæ debent esse humilitate flexiles, longanimitate longi, & per omnes vitæ nostræ actiones diffusi, ita ut sine oratione & ratione agatur nihil.

Hos neruos incidere tentat Satan, dum homines ab orando retrahit, & in oratione animi orantis vires dissipare committitur.

Exhortatio ad Hominem.

Vide, homo Dei, ne habeas neruum, quem Iesaias cap. 48. vocat ferreum, hoc est, pertinacem obstinationem, quandoquidem is nec motus, nec sensus instrumentum esse potest, cum vi spiritus excitari se & iurari non patiatur. Potius submisce & assidue coram Dei facie te submitte & humilia, intende neruum piæ orationis, ut tibi constes, Deoque collectus uniaris, ipsius spiritu mouearis, ipsius gratiam sentias. Nervus orationis pure magnam habet virtutem, penetrat cælum, quo caro pertingere non potest. Ne langue-

scas

scas in orando, ne Satan te enervet: Multis
 siquidem in civitate conversi: nis sua ferven-
 tes orant, postea languidi, postea frigidi, hinc
 plane securi fiunt: Vigilat hostis, illi dormi-
 unt. Vigila & orane intres in tentationem.
 Nisi oraveris, nihil quicquam salutis a Deo
 impetraveris.

ORATIO AD DEVM.

Humilium & mansuetorum semper tibi
 placuit deprecatio, Iehoua Iusto & Mi-
 sericors, da igitur mihi spiritum gratie &
 precum, humilitatis & mansuetudinis, da
 spiritum adoptionis, in quo clamem. Abba,
 Hic adiuet infirmitatem meam, & nervos
 orationis in me firmet, nam quid orem, sicut
 oportet, nescio, sed ipse spiritus postulet pro me
 gemitibus inenarrabilibus. Hic nervo sancte
 & assidue precationis me tecum colliget, dum
 nubes oratio humiliantis se penetrat, ac ad te
 appropinquat, nec a te discedit, quin te am-
 plexa apprehenderit, & donec oculis miseri-
 cordie & caritatis tue me aspexeris. Exaudi
 itaque me Deus, quoties deprecatio me ad te
 assurgit propter filium tuum Iesum, in
 quo omnis promissio est.

Amen.

D E

C V T E E T

A D I P E.

CAPVT XL.

*Dissimi-
laria mē-
bra.*

*Inuol-
uentia.*

*Cutis ho-
minis sp-
ritualis.*

Charitas.



Dissimilaria membra sunt
vel *Inuoluentia*, vel *Inuo-
luta*.

INVOLVENTIA sunt
aliorum membrorum naturalia &
inuoluentia tegumenta.

Vniuersum autem corpus inuol-
uens & tegens est CVTIS, cui subest
plerunque ADEPS.

Cutis integens corpus spiritualis
hominis potest esse vel *Charitas*, vel
bona fama.

Charitas enim operit multitudi-
nem peccatorum: quia *patiens est, be-
nigna est, non amulatur, non agit perpe-
ram, non inflatur, non est ambitiosa, non
querit quae sua sunt, non irritatur, non co-
gitat malum, non gaudet iniquitate, con-
gaudet autem veritati: omnia suffert, o-
mnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Sine

Sine Charitate homo spiritualis nullus est, etiamsi omnem se habere fidem gloriatur.

Bona fama, suaviter inuoluit corpus hominis spiritualis, estque eius dulce inuolucrum, & molle tegumentum lætitiæ interioris calorem fouens & conseruans.

Fama bona impinguat ossa, meliusque est nomen bonum, quam diuitiæ multæ: super argentum enim & aurum, gratia bona.

Duo sunt homini spirituali in decursu huius vitæ necessaria, *Conscientia & fama*. Conscientia propter seipsum; fama propter proximum: illa ad vitæ futuræ cōmoda; hæc ad præsentis; illa virtutem reddit maiorem, hæc illustriorem: Hanc fugiendo consequimur, quam perderemus in consequendo; illam studiose requirendo acquirimus, ac ad eam recurrendo, vt correctorem affectuum & animæ pædagogum, nobis conciliamus, quem maximo cum detrimento, contemnendo amitteremus.

Bona fama.

Homini in decursu vitæ necessaria duo.

Exhortatio ad Hominem.

SI suaviter si molliter vis tegi & tegere, indue cutem Christianae charitatis, hanc sectare & emulare spiritualia, & non destitueris iucundo tegumento. Si linguis angelorum, o homo loquereris, charitatem autem non haberes, instar aris tinnientis esses. Et si habueris omnem fidem, ita ut montes transferas, charitatem autem non habueris, nihil es. Et si tradideris corpus tuum, ita ut ardeas, sine charitate hoc tibi nulli erit utilitati. Fructus spiritus est charitas. Hanc si habes, tegere poteris tanquam tuta cute carnem tuam, hoc est, proximum, qui tibi non est negligendus. Ipse si vis tegi aliorum pelle, boni nominis ne negliges famam, nec unquam maculam huic pelli imprimas. Melius duxeris esse nomen bonum, quam unguenta pretiosa. Profecto tibi cum conscientia copulanda est bona fama. Neceesse debet vlla restanti, cui commodum vllum tibi tam appetendum, ut viri boni & pii nomen amittas.

ORATIO AD DEVM.

Charitas laudatur, & alget, riget pectora immenso frigore, amoris ignis exstinctus, o Deus,

corda

corda nostra succende Christiani amoris flamma, ut caleant, & calorem de se in proximos nobiscum conuersantes diffundant. Deus ipse est caritas, calefac tuo igne cor meum, ut caritatis inuolucro complectar, & tegam fratrem & carnem meam, ne auertam faciem meam a proximo meo, sed necessitatibus sanctorum communitem, & seruiam membris filii tui per caritatem. Diffunde caritatem tuam, pater, per spiritum tuum in corde meo, ut eius fructus vicissim effundam in proximos meos. Omnia opera mea fiant in caritate, in maneam in dilecto filio tuo, seruatore meo per caritatem. Et quia ex sententiis hominum pendet fama mea, da Deus, ut maiorem curam habeant bonæ conscientie, qua bene seruata, si fieri potest, concede mihi alterum illud patrimonium, boni nempe nominis famam, idq; propter proximum, ut ipse per me eo libentius exedificetur. Opera quippe salutis sine fama boni odoris non satis relucet aliis, nec fama sine opere proficit, sine quibus forma veri Christiani non commendatur. Da pater utrumq; ut utroq; in te beatus gaudeam.

ADEPS & PINGVEDO, quæ vspiam cuti subesse solet, est substantia quædam mollis, alba, ex congelato sanguine generata, quæ, ut no-

T

cet, si superabundat: ita si modum habet, prodest.

*Adeps sp.
ritualis.*

Spiritualis adeps ita ab Augustino describitur Psalm. 67. *Habet quandam pinguedinem anima nostra. Est enim quaedam saturitas pinguis sapientiae. Anime enim, quae carent sapientia, macrae sunt, & ideo ita exiles fiunt, ut in operibus bonis cito deficiant.*

Est etiam spiritualis adeps in Deum & in proximum caritas, qua anima veluti quadam pinguedine est succi plena. Sine qua est sicca, ieiuna, nec quidquam operari valet.

*Gratia
diuina.*

Aliis est *Pinguedo Spiritualis*, qua homo nouus impinguatur, *Diuina gratia*, qua gaudet caput suum impinguatum David *Psal. 23*. Hoc adipe pinguescunt viri sancti, qui in hoc mundi deserto inter peccatores speciosi sunt. Haec pinguedo animam nutrit, commiseratione & mansuetudine mentem emollit, vacuitatem cordis virtutibus replet, poros sensuum claudit, siccitatem temperat.

Aliis

Aliis adeps spiritualis sunt *consolationes & deliciae spirituales*, quibus anima nitescit, & viget, quibus, qui carent, squalent & tabescunt.

Hac pinguedine spirituali inebriatus homo, hilari & lætus exultat, terrena despicit, pinguibus pascuis super mōtes Israel in herbis viuentibus pascere se & req̄escere optat.

Exhortatio ad Hominem.

Desidera, o homo, animam tuam diuinæ sapientie, caritatis, gratiæ & consolationis pinguedine repleri & inebriari. Noli impinguari luxu & superbia, hæc pinguedo sapientiæ & caritatis sanguinem imminuit, friges facit corpus, animam aggrauat, motum retardat. De ea dicitur: *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit.* Hoc modo impinguatorum sanguine & adipe terra gladiusq; Dei inebriabuntur, cum Deus inter pecus pingue & macilentum iudicabit. Nō etiam vanis honoribus, fœdis voluptatibus, fluxis opibus te pinguefacias: Mundanus mūdāna pinguedine crassus eris. Omne enim, q̄ est in mūdo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ tria sunt mūdi idola.

Ezech. 34

*Ambitiosus honos, & opes, & fœda voluptas,
Hæc tria pro trino numine mundi habet.*

Oratio ad Deum.

INebria animam meam pinguedine gratia tua
 salutaris. O Deus Opt. Max. ut cor meum bo-
 nis tuis repletum gaudeat. Spiritum sanctum
 effunde super me, ut eius donis anima mea reple-
 ta exsulet in Deo salutari meo. Si hac animam
 impleueris, labiis exsultationis laudabit te os me-
 um. Ut autem pinguescam in te Deus, ad eam,
 quam in conspectu tuo parasti mensam, fac me
 accumbere, ad mensam me duc sacrarum scri-
 pturarum, ibi, ibi sunt epula pingues spiritualis
 sapientis, & diuinorum mysteriorum cibi. Ad
 mensam magni regis inuitatum me perduc, ubi
 panis angelorum, & panis, qui de caelo descendit,
 manducatur, ubi calix præclarus & inebrians
 apponitur: ubi non modo præsens datur pinguedo,
 sed futura etiam acquirende spes conceditur. O
 sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, in
 hoc me Deus benigne, impinguescere animam
 meam effice per Spiritum tuum san-
 ctum, qui me tecum indiuisè
 uniat, Amen.



De
 res icr
 fi di fr
 capis
 confi
 P
 Glad
 C
 um &
 nata
 C
 nonn
 cogita
 dz, ta

DE

CAPILLIS ET
FACIE.

CAPVT XLI.



Nuoluta membra sunt
Capitis aut Trunci.

*Membra
inuoluta.*

CAPITIS involu-
tum membrum prima-
rium est *Cerebrum.*

De quo cum parum aut nihil apud vete-
res scriptores inuenio, dabis veniam lector,
si disrupto Methodi vinculo, transiliam ad
capitis quascunque partes etiam exteriores
considerandas.

Pars capitis alia est Capillata, alia
Glabra.

*Partium
capitis
diuisio.*

CAPILLATA pars est Occipiti-
um & Vertex, quæ capillis sunt or-
nata.

CAPILLI hominis spiritualis de
nonnullorum sententia significant
cogitationes animi, quæ si sunt san-
ctæ, tanquam comiti & bene pexi ca-

*Capilli
hominis
spiritua-
lis.*

pilli internum caput elegantissime condecorant.

Summa itaq; diligentia in cogitationum capillis peccendis & excutendis, ne quid turpitudinis in eis appareat, est adhibenda: præcipue cū cura cogitationum sit difficillima: & magnus sanctæ perfectionis gradus positus sit in cogitationū nitore, concinnitate & compositione.

Praeque cogitationes sunt veluti quidam veteris hominis capilli, frangendi, & a capite spirituali euellendi, quippe Ethnici Furias, capillorū loco serpentes habere finxerunt. Horridos hos capillos, si qui in capite nouo suboriri voluerint, homo interior, ne humeros grauēt, oculos offendant, & caput horridū reddant, statim resecabit, & cum omnis lasciuia ei sit fugienda, ne comam illorum nutriat, cauebit.

Exhortatio ad Hominem.

Cogitationes vagas, & somno similes, non recipies, ait Seneca, quibus animum tuum oblectaueris, tristis remanebit. Mortificandæ tibi

sum

sunt, o homo, cogitationes triplices. Primæ sunt vane, quæ tibi in affectu non adherent, licet animo incidant instar maris fluctuantis, & auium subuolantium. Has tanquam ingens profectus in pietate impedimentum, & otiosi cordis indicium exterminabis. Sunt aliæ noxiæ, quæ rerum turpium imagines, cum sensus quadam oblectatione formant. Noxam afferunt insignem animo, caue tibi ab iis: actiones diuinæ gratiæ præpediunt, excute: spiritum sanctum contristant, dispelle: dilecti lectulum commaculant, abige: insipidum reddunt omne pietatis exercitium, displode. Tertii generis cogitationes dicuntur cor inquietantes, quæ licet per se non malæ sunt, per accidens tamē, quia nimium intendis, animo tuo creant molestiam, siue sint de cura licita rerum temporalium, siue de cura spirituali rerum coelestium, arcanarū & aliarū. Præcide has sepe curiosas cogitationes, bene harū capillos pecte, ne sanctimoniam sint impedimento: & suscipe cogitationes pias & honestas: si nequis: respice saltem imaginem Iesu Christi pictam in corde tuo, & in ea contemplanda formato tibi salutare cogitationes.

GLABRA pars capitis est sine capillis, eaq; in anteriore parte *Faciem*, in temporibus *Aures* continet.

FACIES noui hominis honesta, sancta, modesta, decora sit, conuertatur

*Facies
spiritua-
lis homi-
nis.*

ad Deum, qui in faciem nostrā in spiravit spiraculum vitæ, vt requirat eius faciem, & dicat: *Ostende mihi faciem tuam, & saluus ero.*

II. In hac facie vigeant omnes sensus spirituales, & pulcritudo quædam reluceat diuina: in ea sit splendor & decor virtutum: ab hac agnoscatur homo interior, vt ab hac facie Deus faciem suam non auertat.

III. Faciem suam homo sanctus ab afflictis Iesu Christi membris & pauperibus ne auertat: a quibus si auertitur, Dei facies a nobis auertitur, & noui hominis noua facies deponitur, & veteris hominis suscipitur vultus.

IV. Facies noui hominis est *Conscientiæ speculum*, quæ facies lauanda sæpius lacrymis, & sanguine Iesu saluatoris: & sancte custodiatur, ne op^o sit eam suffundi turpitudinis pudore, nec ulla pallefcere culpa.

Exhor-

Exhortatio ad Hominem.

Faciem tuam, homo, custodi, ut sit non deformis, sed speciosa Deum, & sanctos eius oblectans. Ita a te obseruetur, ut exporrectam eam, in cœlum Deo tuo ostendere possis, ut & ipse tibi ostendat faciem suam, & in tua facie similitudinem agnoscat suam. Inclinabis quoq; faciem tuam in terram per humilitatem, qua excitandi Deum tuum vim habet, ut ad faciem tuam vicissim oculos suos conuertat. Caue vero, ne unquã faciem tuam a Misericordis auertas, alioqui & Deus suam a te auerret. Cum egenus tibi occurrit, verte potius faciem tuam, ut in eo intuearis faciem Christi tui. Vbi vocem pauperis exaudieris, dicas: Vox dilecti mei: En ipse stat. post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos: siquidem latet in paupere Christus. Dic itaq;: En dilectus meus loquitur mihi, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox inquam pietatis & commiserationis: vox tua dulcis, & facies decora.

In primis vero, o homo, qui vitam viuere optas in fide filii Dei, faciem conscientie tue absq; macula & labe scelerum conseruabis, ne viam tibi in tristissimam abyssum desperationis sternas. Diaboli enim astutia est, conscientiam graui securitatis veterno consopire, quo finalem hominibus destructionem, facilius queat accelerare.

vigila & ora, & milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam, & beatum te predicabo.

ORATIO AD DEVM

COr meum, sancte Domine, sanctifica, ut ex sancto sancta egrediantur cogitationes. Inuane, Deus ut omni custodia seruem cor meum, ex eo enim procedit vita aut mors. Si tu obseruas, vita: sin deseris, mors. Oboriuntur toties in animo meo cogitationes vanae, turpes, curiosae, quibus mirifice percellor. Suffice, Deus, imbelli mihi statim nouas vires, quibus eas abiciam ac expellam, ac loco vitiosarum, castas, honestasque suggere cogitationes, pie animum commouentes. Dedisti mihi Deus faciem, peccatorum maculae illam foedarunt, purga eam sanguine filii tui. En addo ego lacrymas cordis & oculorum, fide te inuoco, exaudi me, & in faciem expurgatam inspira nouae vitae tuae spiraculum, quod ita me animet, ut erigam ad te Deum meum faciem, ut vicissim tuam mihi ostendas. Flecte ceruicem meam, ut faciem meam a miseris filii tui membris non auertam, sed pia commiseratione cordis, tanquam ad Christum meum me inclamantem conuertam. Conserua, pater benigne, in me filio tuo, & fove fidem saluificam, ut ipse conseruem per te iustitiam bonae

conscientiæ, habeamq; constans propositum, & ardens desiderium tibi in omnibus rebus obediendi, & sanctimonia vita faciem conscientie mee colustrandi & ad te in Christo reconciliatore meo erigendi, Amen.



DE

FRONTE ET SUPERCILIIS.

CAPVT XLII.



IN facie primo sunt *Frons* & *Supercilia*.

FRON temporibus, superciliis, & incipite continetur, verecundiæ & honoris sedes, affectionum animi index, in qua rugæ solent contrahi.

I. Frons hominis spiritualis, voluntatis eius sit externa significatio, que debet esse ossea & rotunda, id est, *Constans & Candida*, & pauca carne, i.e. *Carnis affectu*, contacta.

*Frons no-
ui homi-
nis qualis
esse debe-
at.*

II. In hac fronte gratiæ & caritatis affectus, effectusq; apparere debent.

III. Hæc honestatis pudore ornanda & coloranda est, vt homo nihil perfricta fronte, sed cum pia animi submissione & reuerentia efficiat omnia, & coram Deo & hominibus prudenter versetur, atque non modo aliorum, sed etiam sua causa pudefiat.

IV. In hac lætitia & serenitas quædam mentis, cum voluptate & hilari vultu opera virtutum exercentis, appareat, quibus Deo & hominibus bonis homo placere studet.

*Lætitia
& serenitas
unde.*

Lætitia vero & serenitas hæc nascitur ex iubilo conscientiæ, quæ nulla est peccati enormis nube obducta, nullo recordationis errorum morfu lacerata, aut verme doloris corrota.

Exhortatio ad hominem.

NE tibi sit frons anea, o homo Dei, sed potius peccata agnoscens emollitor & humiliator,

vt

ut tristitia pia contritionis, quæ est secundum Deum in fronte tua appareat, quia te contra Deum tam benignum parentem tuum peccasse cognouisti. Hanc tristem frontem excipiet mox tranquilla letitia, quam per fidem in Iesum Christum tibi creabit sensus remissionis peccatorum tuorum. Dehinc in fronte tua virtutis & roboris cernentur signa, in omni re constanter te geres, & nullam inconstantia aut ignavia significationem dabis: sed ex porrecta in Deum fronte, veritatem Christi profitens, grauissima quæq; patienter feres. Fronstua sit iusta, vide, sit æquabilis & nullis aspera rugis, quæ veteris consuetudinis senio & morbo contrahuntur, ne quando tibi dicendum sit: *Ruga mea, peccandi veteres rationes, testimonium dicunt contra me.* Caue tibi ira & indignatio impia, odiumue inueteratum rugas in fronte contrahat. Gratia & pulcritudine

- - - *Dius proximus ille est,*

Quem ratio, non ira mouet.

SUPERCILIA sunt extrema pars frontis, quæ oculis super eminent, munita pilis & inter se dissecta, ea parte, quæ *intercilia* vocantur.

Supercilium hominis vitam Dei agentis non sit planum molliæ inconstantia, non pressam occulta malitia, non altam & elatum super-

Supercilium hominis nominis.

bia ac arrogantia, non longum timiditate, non carnosum ignorantia: sed spirituale supercilium, quo oculi spirituales defenduntur, & facies exornatur, sit modesta existimatio, superque iudicium, quod non debet esse elatum nimis, neque præter modum omnem depressum, sed æquabile, & cum ratione exporrectum. Cuius regula hæc est:

Tantus homo es vere, quantus stas lance ferrea.

Quantus unusquisque est in oculis Dei, tantus est & non amplius. Ut ille namque solus nouit omnia, imo & cordium secretissima: ita solus quoque iustus rerum omnium est æstimator & censor.

Exhortatio ad Hominem.

Pone supercilium, homo, ut modeste te sentias. Si quis enim existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit, inquit Christi Apostolus. Audi & illud: Opus suum probet unusquisque, Expendens autem proprium opus, si bonum inuenieris, ne gloriare nisi in Domino. Quid enim ha-

bes,

bes, quod non acceperis? Dic cum Apostolo: Gratia Dei sum id, quod sum. Neq³ surda aure preteri illud Christi: Cum feceritis omnia, quæ precepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus. Si reprehensione dignum tuum est opus, habes, quo te humilies, non quo te alius preferas. Cognosce te ipsum probe, ut si gloriari velis, gloria tua sit, testimonium bonæ conscientie. Non tantus es, quãti te aestimat mundus. Homo videt ea, quæ patent: at Dominus intuetur cor tuum. Hunc & huius iudicium audi.

ORATIO AD DEVM.

Prohibe, Deus sancte, ne frons mea gerat characterẽ bestie, ne bibam unquam de vino iræ tuæ, ne crucier igne & sulphure in conspectu angelorum & sanctorum tuorum. Fac me propter tuam misericordiam, esse seruum tuum, ut insigniar seruorum tuorum signo, ne quis mihi noceat. Tolle a me frontem impudicam & obstinatam, ne sim ex iis, qui deposita verecundia, nec suam, nec Dei, nec proximi reuerentur presentiam, sed omnia prohibita impudenter faciunt. Ne sim ex iis, quibus dicit: Durus es tu, & neruus ferreus cernix tua, & frons tua anea. Reple me potius Sancto tuo spiritu, qui in fronte mea faciat gratie, caritatis, honestatis, & interioris lætitiæ ac serenitatis affectus & effectus.

Et, quia, o Deus humilia respiciens in caelo & in terra, semper ad altiora conatur, magniq; fieri desiderat, humanum ingenium, veramq; celsitudinem raro quaerit, elide in me stimulantem hunc propria exaltationis, vermem, ut ad veram ac Christianam mei cognitionem & humilitatem perueniam, quandoquidem talium est regnum caelorum, idq; propter Iesum Christum, qui se propter me humiliavit serui forma assumpta, Amen.



D E

O C V L I S.

C A P V T X L I I I.

IN facie deinde sub fronte & superciliis sunt *Oculi*, qui hic proprie & improprie considerandi veniunt.

Oculi hominis non vident.

O C V L I proprie dicti sancte sunt conseruandi, & auertendi ne videant vanitatem, foedus cum ipsis pangendum, ne vnquam curiose id intueantur, quod animam contaminet.

Videt

Videt homo spiritualis, ne oculi eum in æternæ mortis lacum inducant, qui ei a Deo concessi sunt, vt ipsorum præsidio cœlestis gloriæ regnum quærat. Sequitur consilium Apostoli, quod cuidam præscribebat, qui sibi clare intueri videbatur, & tamen cœcutiebat, sic inquit: *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Labet adscribere non neminis ingeniose excogitatum vnguentum, quod quisque sibi conficere potest. Hoc vnguentum seruiet homini, tum vt spirituales auferas cœcitate, tum vt vitio lippitudinis oculorum cū Lia per curiositatem semper defluentium remedium afferas. Recepta, vt vocant, est eiusmodi.

Ficulneiperizomatis Eue folium vnum.

Statue salis vxoris Loth, grana quinq;

Plantaginis a Dina Sichimis calcate manipulos duos.

Nocturnarum lacrymarū regis Davidis, uncias duas.

Fellis piscis Tobie, unciam vnā.

Contundantur omnes hæ species simul in marmoreo mortario cordis, pistillo crucis Christi. Siq; omnia minus arida, minusue

fucculenta videntur, inter tundendum finatur libere aliquid de sudore vultus incidere: si lacrymæ quoque ex oculis propriis influant, eo melior erit compositio. Fiat fasciola ex linteo, quo Iudæi oculos Christi obuelabant, oblinaturq; pasta vel vnguine ex prædictis confecto, dense satis. Digito tum vno luti illius aliquid sumatur, quo Christus oculos cæci nati perunxit, illoque oculos tuos perline: & tum prædictam fasciam obductâ circumliga.

Percute tum fœdus cum oculis tuis præfente Iobo, velut Notario, & duobus testibus, Deo, & conscientia tua, vt ne quidem cogites de virgine aut alia re illicita. Fasciam illam post triduum deponito: Vade & lauare in natatoria Siloe. Et certum est te oculos, pulcros, lucidos, & rectos habiturum: oculos columbarum, sicut sponsa in Cantico canticorum: quibus tandem præ excellenti puritate & cordis munditia, videbis Deum Deorum in Sion. Sed attende. 1. *Folium*, de quo dixi, *ficulneum*, ex paradiso venit, e Perizomatis, quæ Adam & Eua sibi post curiosum in vetitam arborem intuitum & peccatum contexuerant. 2. *Grana salis*, e Petra salis, in quam vxor Lothi conuersa fuit, non procul a Sodomis, vbi illa, præ curiositate, contra Dei præceptum retrospexit ad incendio

1. peccatum extrinsecum:
gressum præceptum
vni M. p. p. p. p. p.
2. in manu fuisse solus.

con-

conflagrantes ciuitates. 3. *Plantago* vero ex oppido Sichem acquiritur, quo Dina filia Iacobi Patriarchæ, vt ciuitatem, mulieresq; ingressa, a Sichemico Principe rapta & stuprata fuit. 4. *Species quarta*, ex lacrymis regii *Prophetae* sumitur, quib. per singulas noctes lectum suum rigabat, postquam oculos suos male custodiuisset respiciendo Bethsabæam le lauante in Solario. 5. *Felpiscis Tobia* est, quo ipse consilio angeli Raphaelis, oculos patris inunctos pristinae restituit caritati, amaritudine pœnitentiæ subindicata. Piscis ille ex rapido fluuio Tigri attractus fuerat.

Applicatio fiat ad oculos per attentam, seriam & viuam recordationem, quantumque fieri potest, quasi per sensum realem omnium eorum, quæ DEVS ad nostram instructionem, nostrique morbi remedium & fieri voluit & curauit describi. Tres dies, quibus oculi spiritualiter lippientes, vel etiam cœcutientes esse obligati debent, sunt *Contritio pœnitentis, fides se erigentis, & noua obedientia se sanctificantis*. Lutum ex Christi sputo & terra confectum, suggerat excelsæ maiestatis diuinæ cum humana humilitate coniunctionem. Ablutio in Siloe, Christi passi *sanguinem* notet, quo omnes nostræ fordes & maculæ abluī debent. Commendatus est Iobus Notarius foederis tibi eū oculis tuis

3^o oculi et diu:
quo ad pœnitentiam
inclinant.

4. Oculi querendi
in uideant uari:
lulam.

5^o Angeli pœnitentis
et for luti

pangendi, quia fidelis est & expertus, quippe, qui hunc usum habebat. In testes irrefragabiles Deum dedi & conscientiam propriam: illi namq; etiam soli testes tui in extremo illo iudicio sunt futuri. Hæc sedulo meditare, & custodies oculos tuos:

Oculus
spiritua-
lis quid.

OcVLVS spiritualis est sancta cordis fides, quo videntur, quæ ad spiritualem vitam pertinent, quæ sub oculos humanæ sapientiæ non cadunt, & quæ oculi nostri suo obtutu, in hac vita attingere nequeunt.

Hic oculus diligenter est custodiendus, ne qua afficiatur macula, ne quo humore a cerebro, a carnali sapientia defluente obscurus reddatur, ne vllis pulueribus lædatur, aut ab errorum noxia persuasione eruat.

Qui hunc oculum habent, arcana Dei vident, qui non habent, non vident. Ora itaque sæpius Deum cum Apostolis: *Adauge nobis fidem: Et cū Dauide: Illumina oculos meos & considerabo mirabilia in lege tua.*

Ex.

Exhortatio ad Hominem.

NEquius oculo, quid creatum est, inquit Sapiens. Vide itaq; o homo, ne mors per fenestras oculorum tuorum ingrediatur ad animam tuam. Meditator illud Christi Domini: Qui aspexerit mulierem ad concupiscendam eam, is mœchatus est in corde suo. Cave tibi a fure & pradone, qui per oculos subintrans mortem inuehit per cupiditatem, delectationem & assensum: ne lamenteis ex propheta, Thren. 3. Oculus meus depraedatus est animam meã. O homo, ne oculos tibi amplius pingito, neq; foris te componito, sed totus introrsum conuersus lacrymis potius fundendis operam da, vt Christus suo te emundet sanguine. Neque enim frustra Deus idem visus organum, frustra fletus instrumentum esse voluit, vt, quo sordes a te hauriuntur, eodem per lacrymas diluantur. Heu, quam multi iam in gehenna incendio eternas luunt pœnas oculorum culpa male custoditorum. Acquiras potius tibi oculum cordis, puram fidem. Hoc oculo amœnos paradisi campos, beatorum sedes, Christi Iesu faciem pulcram, & Dei arcana intueris, viam ad salutem recta ducenem vides, peccati turpitudinem cernis, honesti pulcritudinem conspicias, & quasi in meridiano sole ambulas.



ORATIO AD DEVM

Castissimos tuos oculos obligari permisisti, dulcissime Domine Iesu, indicans, quantum dolorum & amaritudinis nostri oculi tuis peperissent. Da mihi hanc, per Sanctum tuum spiritum, gratiam, ut sic possim eos in hac vita custodire, ut, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, neq. in cor hominis ascendit, in caelis perpetuo cū gaudio contemplari possim, Amen.



DE

PUPILLA ET
LACRYMIS HOMI-
nis spiritualis.

CAPVT XLIV.



Culorum porro tum est
Pupilla, tum *Lacryma*.

PUPILLA est oculi
pars media circulo con-
tenta, in qua imago apparet, & per
quam recto angulo videntur visi-
bilia.

Spiri-

Spiritualement PUPILLAM dixeris
Conscientiam in medio oculorū men-
 tis, intellectus scilicet, & voluntatis
 positam, per quam nostra pure iudi-
 camus omnia, quæ vt recte videamus,
 debet esse pura, & impolluta, &
 circulo mandatorū Dei contento,
 vt scuto veritatis, sit circumdata. In
 hac pupilla apparent imagines earū
 rerum, quæ maxime a nobis sunt ge-
 stæ, quarum formas siue bonas, siue
 malas sæpe repræsentat.

*Pupilla
 spiritualis*

Bona igitur *conscientia* tenerrima
 animæ pars est, pupillæ oculi persi-
 milis, quæ vbi vel minima acutran-
 sigitur, non solum vitiatur, sed vi-
 sum penitus amittit. Vt igitur Deus
 agit cum pupilla oculi, ita & nobis
 cum conscientia est agendum. Lar-
 gitur Deus pupillæ oculorum pal-
 pebras, quibus tegatur & ab exter-
 nis iniuriis defendatur: ita & nobis
 vtendum est mediis, ad omnia ista,
 quibus conscientia pollui vel offen-
 di posset, cuitanda.

*Conscien-
 tia bona.*

Exhortatio ad Hominem.

Pupillam conscientiae tuae accuratione summa tuere, homo Dei, quam si bene conseruaueris, plurima inde ad te redundabunt beneficia. Primo, quam diu cura tibi est eam conseruare, seruas simul & fruereis omnibus aliis Spiritus sancti beneficiis. Conscientia bona, & reliquus gratiarum Dei cumulus se inuicem osculantur: sunt instar turturum, qui simul comedunt, simul abstinent, simul quoque moriuntur: ita ubi bona conscientia conseruatur, sustentatur & fouetur, ibi & alia quoque quam plurima Dei dona efflorescunt & uernant: Ubi uero illa labascere, extenuari & euanescere incipit, ibi & haec intercidunt & dilabuntur. Conscientiam fac, ut pupillam oculi tui, custodias bonam & pacatam, atque illa te alacrem reddet & confidentem ad inuocandum Deum. Hinc Ioan. epist. i. cap. 3. Si cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus apud Deum. Conserua, homo, tanquam pretiosissimam gemmam, conscientiae tuae pupillam, & ipsa te afflictionibus & calamitatibus pressum suauissima sua eriget & confirmabit consolatione. Cum enim permolesta afflictionum acerbitate & atrocitate, quasi in genua concidere, crucemque in te suscipere cogaris, tum conscientia tua sanctificata, suos quoque, ut ita dicam, humeros oneri portando applicat, grauitatem illius non

leuat

leuat, tantum, sed & dulcescere tibi facit, neque unquam se subtrahit, donec clementissimo patri tuo coelesti eo te penitus liberare placuerit. Quando omnium omnino hominum solamina & leuamenta deficiunt, apud te paraleti efficacissimi munere conscientia fungetur, & in ipso agone mortis dulcissimis suis leniminibus impetum grauissimarum tentationum franget & profligabit. Hanc itaq; sartam tectamq; conserua, & maximo te bono augebis.

LACRYMARVM tria genera ex D. Bernhardo laudari solent, nempe, *Lacryma contritionis*, cum priuata peccata lugeamus; *lacryma compuncti-onis*, cum aliorum errata defleamus: *lacryma deuotionis*, quas spargunt, qui moti a Spiritu sancto, postulant gemitibus inenarrabilibus, vt Deus in ipsi, deuotionis dulcedinem conseruare velit: nec non i, qui admirabilem Dei in nos caritatem cōsiderant. Alii addunt *lacrymas desiderii*, eorum scilicet, qui desiderio & amore diuinæ presentia, in hac lacrymarum valle gemunt, cupientes dissolui & esse cum Christo. Commen-

*Lacryma
cum tria
genera,*

dantur etiam *lacryma*, quæ ob calamitates, quæ premunt proximum, funduntur.

EXHORTATIO.

Sanctifica, o homo **DEI**, lacrymas tuas, eas tum pro te, tum pro proximo tuo profundendo. Primum necesse est, ut pro tuis a te perpetratis peccatis, cum aliis sanctis, ubi senseris te Deum benignum parentem tuum offendisse, lacrymas fundas, quem hunc in modum alloqui poteris.

Culpas fatenti, da veniam pater,

Ne aternus hos artus sopor occupet:

Cogatur umbras atq; imago

Heu mea tartareas subire.

Natum gementem, si pater euicis

Tuum, vlnis excipiet quis

illum? negas tu si intueri

Suppetias veniat quis illi?

Multa egi inique, sed doleo, & tuum

Lesisse numen me modo pœnitet:

Manare nec cessant ocellis

Vsq; meis, lacryma ob dolorem.

Cogita, homo, quantum viri alias sanctissimi fleuerint, cogita te in valle lacrymarum in medio hostium acerbissimorum constitutum: cogita te frequenter grauiterrando offendisse Deum patrem & creatorem tuum, Christum fratrem & redemptorẽ tuum. seandalo fuisse multis piis, con-

tre-

tristasse Spiritum sanctū, imo cunctis creaturis
 abusum in Dei offensam incurrisse. Cogita te eū
 ob innumera peccata aeterna maledictionis, hor-
 rere istam vocē horribilem: *Ite maledicti in ignē
 eternum.* Hinc pximo condolens, pro eius quoq;
 erratis & calamitatibus lacrymari, & cum
 flentibus flere a Christiano non alienum esti-
 mabis, cum id quoq; Christum fecisse, qui ob alie-
 na peccata in hoc mundo solummodo flexit, me-
 mineris. Audi feremiā in suis threnis exclamā-
 tem: *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis
 fontem lacrymarū, ac plorabo die ac nocte inter-
 fectos filia populi mei? Audi Davidē: Vidi pua-
 ricantes & tabescam: defectio tenuit me, pro pec-
 catoribus delinquentib. legem tuā. O homo, si ve-
 ra caritate Deum tuum complectereris, non gra-
 uareris fundere lacrymas p̄ eis, quos Deus sic di-
 lexit, ut pro eorum salute filium suum dare vo-
 luerit, pro eis, inquam, pro quib. Dei filius factus
 homo maximos pertulit cruciatus.*

ORATIO.

A Eterne, misericors, ac omnipotens regenitor,
 ac sanctificator Deus, custodi me ut pupillā
 oculi tui, sub umbra alarum tuarum protege me,
 gratiam tuam largire mihi, ut retractus a pec-
 catis conscientiam vastantibus, eam tibi sanctā
 puramq; offerre possim. *Navis hac mea est, quā
 si non bene gubernauero, rimas agere incipiet,
 aquam attrahet, & tandem immersus peribo.*

*Pupilla hæc oculi mei est, quam si non diligenter
asseruauero, excoecabor, & miser peribo. Auer-
te Deus hoc malum, ne aboleatur & elassescat,
conscientia mee pupilla, ne gratia & beneficia
tua me deserant, neque mandata tua mihi vile-
scant, ne deniq; fides, spes, caritas, & inuocatio
nominis tui hebescat & antiquetur. Scio & fa-
teor me miserum peccatorem, hinc est, quod ma-
la me discruciet conscientia: remitte, Deus cle-
mentissime, pro magnitudine tue misericordie
propter Iesu Christi meritum & intercessionem,
peccata mea, ut fruam pace bonæ conscientie. Tu
vero Domine Iesu Christe respicere digneris me
miserum peccatorem, oculis misericordie tue,
quibus respexisti Petrum in atrio, Mariam
Magdalenam in conuiuio, & latronem in crucis
patibulo: Concede mihi, o Iesu, ut cum Petro ex
corde fleam, cum Maria Magdalena ardenti
amore te diligam, & cum latrone in æternum
te videam. Amen.*

D E

GENIS ET NA- RIBVS.

CAPVT XLV.

Gen.



Etio in facie sunt GENÆ, &
NARES.

GENÆ in naturali facie
mul-

multum carnis habent, tum ad ornamentum, tum ad conseruationem caloris, cum faciei partibus, ad comprimendam frigiditatem calorem subministrent, sunt molles, candidæ, rubicundæ, atque affectionum animi indices.

Interioris hominis SPIRITUALES GENÆ, sint spiritualis succi plenæ & pietate molles, vt caritate rubeant, innocentia albicent, in eisque castus timor, pudica verecundia, sancta tristitia, & divina lætitia appareat.

SPONSÆ GENÆ, cant. i. instar Turturis esse dicuntur, scilicet animæ pudicæ & solitariæ, quæ vni tantum sponso placere studet.

Hæc enim avis casta, pudica, solitaria, ac vna compare contenta esse dicitur. Sint igitur genæ nostræ mundæ, & casto ruboræ aspersæ, vt vni Christo, cui desponsati sumus, magis, magisque placeant. *Optimum ornamentum genarum, ait non nemo,*

Genæ nō-
is homi-
nis.

est verecundia, quæ quasi aurora quædam omnium actuum colorat principia, & virgineo virtutes reliquas honestat pudore. Hæc bona sua non petulanter iactat, sed parce eloquitur contenta tenuiter innuisse, cum vrget necessitas.

Bonæ genæ, quæ sicut nihil habent simulatum, ita multum habent occultatum, quæ sicut nihil fingunt, sic nec totum effundunt, quæ minus prætendunt in specie, quam tenent in virtute.

EXHORTATIO.

G*enæ tuæ, homo sanctificate, sint depictæ verecundia colore, quæ sororem habet continentiam, manifestumq; indicium columbina præbeant simplicitatis. Verecundæ genæ sint testes innocentie, sint lampades pudicitie mentis semper lucentes. Verecundiam cole, homo, omnium virtutum custodem, hæc dedecus fugit, maximamque consequitur laudem. Vide ne amittas hanc morum in vita & vultu tuo gemmam, qua proiecta depudisti, & frontem perfricisti. Tuere hanc disciplinæ tuæ dictatricem, & malorum expugnatricem, tuere hanc puritatis propugnatricem & specialem conscientie tuæ gloriam, & profectio rarius peccabis.*

Na-

NASVS hominis naturalis est pars faciei a superciliorum confinio oriens, & quasi æquali porrecta iugo, vtramque aciem simul & discernit & munit, cuius spiramina dicuntur *Nares*, quæ odores percipiunt, & purgamenta capitis eiiciunt.

Nasus, *inquirit ex antiquis quidam*, notat in homine Dei, *Discretionem*, cuius est bona eligere, & fordes re- iicere: cuius duo foramina sunt duæ considerationes, quarum altera ad cerebrum i.e. ad mentem pertinet, ex qua de rebus ad *Sapientiam* pertinentibus iudicamus: altera ad palatum seu gustum vergit, & ad *actionum prudentiam* refertur. Vt atq; enim operationes discernere & diiudicare, recto atq; iudicio, necesse est, ne quando pro bono malû, & pro maiore bono minus eligamus, vt vnum quodq; tanti fiat, quanti fieri debet.

EXHORTATIO.

NE nasum Rhinocerotis, sed nares Christianæ discretionis habeas, sine discretionem nullam

Nasus
hominis
noti.

recte exercebis virtutem, nulla conquiritur, nulla conseruatur. Discretio sit tuarum moderatrix operationum, sit affectuum ordinatrix; sit magistra morum, sit virtutum custos. Tolle hanc ait Bernhardus, & virtus erit vitium. Hinc est, quod in Leuitico eos, qui aliqua nasi prauitate laborabant, diceres forte, vera & pia discretione, destituti erant, a sacerdotio repellebantur. Desideratur enim in sacerdote, ac curam aliorum gerentibus multum, hoc veluti omnium virtutum condimentum, discretio. Ora itaq; Deum, ut te naribus & spiritu discretionis donet.

ORATIO AD DEVM.

O Deus castissime, genas dedisti faciei, da etiã vultui verecundum pudorem, ne peream, pater, da, ne pereat mihi pudor, suauem hanc gratiam in mente, pulcrum hunc colorem ingenis conserua, ut illa & hic, non modo in factis meis, sed etiam in ipsis spectetur sermonibus: ne modum faciendi & loquendi prætersiliam. Cum primis vero, caste Deus, concede mihi hoc animi robur, ne te erubescam, aut sanctũ tuum, o Christe, nomen & numen, sed si mihi sit erubescendum, ut vitia & turpitudinem omnem erubescam, condemnem, & fugiam. Præter verecundiam, ne discipiar, largire mihi spiritum prudentiæ & discretionis, iubeat prudentia, ne quid inconsultus agam: ne sim in minimis cautus in

mi-

maximis vero negligens : ne me sensus cum
re, consilioque destituant, Fac, pater, ut nari-
bus discretionis discernā inter bonos & ma-
los odores, ut bonos odores, honesta scil. vita,
famam & aliorum exempla olfaciam; malos
vero, corruptas scilicet vitæ rationes & infā-
miam aliorum, tanquam male olentem, &
vitam spiritus perturbantem, deuitem, adeo-
que tibi in Christiana verecundia & discre-
tione vitæ actionum constanter in seruiam.
Amen.

DE LABIIS

ET ORE.

CAP. XLVI.



QVARTO in facie sunt
Labia & Os.

LABIA hominis na-
turalis sunt opercula o-
ris & dentium, quos à frigore defen-
dunt, quorumque auxilio voces for-
mantur, cibus & potus sumuntur,
sunt carnosæ, mollia, flexilia, rubi-
cunda.

LABIA hominis spiritualis pru-

X

denter

*Labia ho-
minis spi-
ritualis
qualia.*

denter sunt temperanda, caute aperienda, tempestiue claudenda. *Labia* sua qui moderatur prudentissimus à sapiēte habetur. *Labia* pii, sint labia osculi, sint blanda & iucunda, quæ apposite & ad rem respondent, quæ non aperiuntur; nisi vt recta loquantur. Et hæc sunt labia, quæ non verberantur, *hoc est*, quæ contumelia non afficiuntur; cum nihil non sapienter loquantur & considerate dicant. Qui labia eiusmodi habent, non dicunt cum improbis, *Labia nostra à nobis sunt, id est, quicquid loqui volumus, nobis fas est*; Qui his labiis sunt præditi, nihil fraudulenter, nihil impune loquuntur, hi nec sua laudabunt studia, aut aliena reprecendent.

Exhortatio.

Labia duo, quæ habes, homo, sint tibi charitatis duo præcepta, quæ os claudunt, nequid turpe inde exeat, quæ rursus id aperiunt tibi, vt dicas quæ ad Dei gloriam, & proximi spectant commodum. Præceptis charitatis labia firma, & verba tua forma. *His spiritualement labiis cibum sume, his tege,*

si quid

si quid in ore turpe apparet. Hæc labia sint rubicunda ob charitatis feruorē, sint diuina gratia aspersa; Vide ne labia tua sint dolosa, ne sis duplicis cordis; aliud sentias aliud loquaris. Vide ne sint labia tua polluta, qualia sunt eorū, qui nō nisi impure & impie loquuntur. Vide ne tibi sint labia mendaciū, & sermones fallaces hypocritarum, sed labia potius veritatis, quæ simpliciter & pure verum loquuntur. Custodi labia tua, & sanctimonia ea imbuere Christiana.

Os hominis sequitur, quid illud sit, manifestū est. Nota vero illud Proverb. 13. *Qui custodit os suum custodit animā suā. Ut oculi fenestrarū partes in terrestri animæ domicilio obeūt: Ita os ostii vices atq; locū sustinet. Et vt porta ciuitatis non attente custodita, ciuitas in periculo versatur, p̄cipue cū ab hostib. obsidetur. Ita urbē aperit, qui os suum non custodit, & quasi custodibus ipsis cæsis hostem aduocat. Hinc sapiens Prouerb. 25. *Sicut vrbs patens & absq; murorum ambitu: ita vir, qui non potest in loquendo continere spiritum suum. Os custodiat in sermone proferendo, mo-**

*Os homi-
nis notat.*

derantur in sermone continendo, in edendo item ac bibendo nō sunt oris laxanda repagula, non cura omnis seponenda. Pandit enim gulosus & ebriosus portas ciuitatis suę, cū custodes eius profligat. Et hostes assidue circumiacentes, & insidias struentes, ac ingressum quærentes, insuper aduocat, imo introducit.

Os ani-
mæ sermo.

Improprie OS ANIMÆ est *sermo* seu *locutio*, quę est quasi ianua & nunci-
cius eius: hoc ore teritur cibus, cum
aliquid docentur homines; hoc os
aperiendum dignis, indignis vero
claudendum, ne detur sanctum ca-
nibus: cum de ore iusti sit scriptum
Prouerb. 10. *Illud debere parturire sapi-
entiam, quam percipere non queunt impii,
quia in animam maleuolam non intrat
sapientia.* Hoc ore expurgandum est,
quicquid superflui in corpore spiri-
tuali inuentum fuerit. Namque os
iusti est vera vita, dum confitendo
Deo accusator est sui: Os autem im-
piornm operit iniquitatem. Prouerb. 10.

Hoc

Hoc ore homo sanctus loquitur sapientiam, veram & sanam doctrinam; eodem fit confessio ad salutem. Hoc os claudendum est, cum aliqua nos inuadit appetitio loquendi de iis, quæ ad proximi spectant ignominiam, &c.

Exhortatio.

O Homo custodi os tuum, & custodies animam tuam. Vide ut ore tuo loquaris bona, Deo grata, proximo commoda, tibi salutaria; ne sis malus: Ex abundantia enim cordis os loquitur. Remoue à te os, inquit sapiens, prauum, & obtrictantia labia sint procul a te. Qui in loquendo est inconsideratus, sentiet malum. Seram potius appone ori tuo, & illud sanctificato Deo domino tuo. Cæte homo, ne in ore tuo sit fel Draconum, & os maledictionis plenum ne habeas, ne ore tuo pereas. Exora Deum, ut ori tuo det custodiam, & in ore tuo semper sit laus eius.

ORATIO AD DEVM.

Quis dabit ori meo custodiam, & super labia signaculum certum, ut nō cadam

Eccles. 22.

ab ipsis, ne propter ipsa labia aliquid male loquendo non peccem, & lingua mea perdat me? Tu Deus omnium creaturarum conditor & conseruator, qui os nostrum in nominis tui laudem, atque animæ & corporis nostri nutritionem condidisti; adice ori & labiis meis seram prudentiæ, qua recte aperiatur, recte claudatur, da ut illa sic semper custodire possim, ut nihil illac intret, vel exeat, quã quod tua diuina placitum est voluntati, propter Iesum Christum seruatozem meum. Amen.

DE LINGVA.

CAP. XLVII.



L N ore primum est lingua.

L I N G V A in homine physico, animæ interpretis, gustus & locutionis instrumentum, est mollis, carnosa, neruosa, oblōga, plana, volubilis, acuta, in loco concauo & humido, quasi in carcere collocata, labiis & dentibus septa.

LIN-

LINGVA hominis spiritualis fit etiã mollis, hoc est, benigna: sit nervosa, hoc est, firma prudenter proferens; sit carnosã, hoc est, non vana, non futilis, sed solida: sit oblonga, vt pertineat eo, quo debet; sed tamẽ cum modo: sit plana, hoc est, facilis, & non aspera; sit acuta & volubilis, nõ vt lingua serpentum ad occidendũ, sed vt animos audientium interdum dicendi seueritate penetret, ac aculeos relinquat in iis; conclusa tamen sit dentibus cautẽ considerationis, & labiis silentii, ne quid inconsiderate aut intempestiue dicat.

Lingua
hominis
spiritualis

Exhortatio ad Linguacem.

QVIS es, homo, qui vis vitam, & diligis videre dies bonos? prohibe linguam tuam a malo, & labia tua, ne loquantur dolum. Mors & vita in manu linguæ. Felix fueris, tibi si attenderis, tecum si pie locutus fueris, si ab altercationib. obrectationibus sermonibus abstinueris, si tecum habitaueris, & aliis aliena reliqueris.

Si tacitos finis ire dies, si paupere cultu
Exgis innocuæ tranquilla silentia vitæ.

*Tria in
lingua cō-
siderāda.*

*I.^a Lingua
mirabilis
cōstruētio.*

Si nouus es homo, lingua tua quoque sit noua; si sanctus, lingua tua sancta loquatur. Hic mecum paulisper, quæso, fige gradum, & considera mecum tria: Linguae tuæ mirabilem constructionem: linguae malæ nocumenta: legitimum linguae vsum.

En, homo, linguam tuam Natura ad vsum suum non tantum versatilem, & in quamuis partem celerrime flexilē, vt conueniebat, effecit; verum etiam ei de assidua humiditate ad volubilitatem in loquendo necessaria prouidit; sine qua torperet & palato præ ariditate adhærescens inepta proferendo sermoni fieret, quod omnes eo casu experimur: tunc enim instar currus male iniuncti non procedit eloquium. Ne tamen naturalis ista lingue propensio atq; agilitas vitio & abusi subserviret; sed vt tardi nihilominus, hoc est bene præmeditati & circumspecti, etiam in bono essemus, à male vero dicendo, prorsus alieni, & quasi elingues, admirandos posuit huic incōmodo obices prouida Nature determinatio. Quod ad maturitatē in loquendo, dicendorumq; præponderationem attinet, iuxta Apostoli monitum: *fit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tar-*

du

du ad iram : considerare oportet , non frustra binos oculos & aures binas à natura homini concessas , linguam vero unicam. Deinde aures semper patulas esse, tanquã ad audiendum & ad obœdiendum paratas: os vero non solum vt claudi queat, sed quod communiter clausum sit, opusque sit aperire ad loquendum, spatio interim deliberandi non absurde concessa. Quantum vero ad ineptã, turpem, vel quoquo modo culpabilem prolocutionem; vix sufficiat humanum ingenium, ad disquirenda latentia & patentia omnia media & remedia à natura huic incommodo obiecta; vt quæ præsciuerit, quantam stragem fera hæc belua edere soleat sitque editura, si fractis repagulis contingat erumpere. Inprimis in faucibus vt in antro profundo recondita hæret, subtilis frequentibusque neruulis, sursum, deorsum, sed præsertim ad latera porrectis, quasi retinaculis vineta coarctatur: neque illis tantum vt frenis, equorũ more, ad maxillarum latera deductis constringitur: verum etiam vt ferociores quidam caballi os in altũ nimis attollentes subligaculo quodam peculiari ab ore ad pectus tendente vinciuntur: ita adeo lingua humana subtus alligata ori adstringitur, vt interdum

necesse sit, in pueris si eos recte loqui velimus, nervulum illum vt vinculum nimis arctum, velut hypoglottidem descindere; & quasi frenum relaxare.

Lingua a
ligando dicta.

Non incongrue idcirco Valla linguam à *ligando* dictam testatur. Vesalius in sua arte expertissimus, hanc linguæ constitutionem attendens, dicit *linguæ constructionem hæctenus à nemine adhuc ex æquo ut par est intellectam, nedum explicatam. Mirabile hoc vnum, nervulorū illorum copiam ac subtilitatem ad agilitatem tantam quæ in lingua necessaria erat conducere, ut & cum serpentium linguis celeritate contendat, & franorum loco seruire, ut eam coerceat: sicut & malus in navi distentis undiq; funibus constringitur; & simul ad velocius velificandum conducit.*

Cætera nunc à Deo in tam periculosi membri concessa custodiã consideremus. Præter abditum illum faucium recessum vbi linguæ sedes est, præterq; iam dicta retinacula, osseam modo triginta plus minus dentium sepem qua cingitur, attendito. Vsum quidem suum dentes habent propriū, vt dicturi sumus; sed interim pro crate ferrea quasi in linguæ munitionem, & in se contineat, in comminationem seruire videmus. Dentes (inquit D. Ba-

silus)

filius) mihi expende: vt organa sint quidem exponendæ voci accommoda: tuendæ linguæ septum opponunt sane quam validum, adde quod ministri alimonix sunt, dum hi frustillatim illam concidunt, isti concisam & dislectam minutim deterrunt: ita ipse. Castigari linguam quoque non raro à dentibus experimur, dum inter mandendum sibi non satis cauet; vt mollicula est & versatilis: & ad quemlibet quidem vsum sermonis depromendi multiuaria mouendi agitatione, vt idem auctor inquit, sufficiens: sed sæpe eadem incitante agilitate sepem suam ac septum in loquendo, transfiliens.

Pro extremo munimine, duobus labris quasi valuis seu pontibus ductilib. imo & vallo concluditur. Iuxta Dauidis nostro omnium nomine orantis postulationem: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantia labiis meis. Non declines cor meum in verba malitia.* Vsum, ecce, rectum, verumque horum munimentorum fructum ratum ac certum exoptabat. Verum quæ nostra confusio est & miseria, quæ parum hæc omnia profint ad pestem linguæ reprimendam nouit Deus, testatur nostra nobis conscientia, & mundus videt vniuersus. Vt etiam dum quis eo felicitatis pertingit,

Lingua à dentibus castigatur non raro.

Labra sunt valles lingua.

vt se ab aliis contineat, in linguæ tamen vitium adhuc impingat. Vt audacter ob id dicat D. Iacobus: *In multis offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit: hic perfectus est vir.* Rationem addit: *Potest etiam freno circumducere totum corpus.* Dum scilicet linguam valet refrenare, vt ex qua dependeant reliqua: quod pulcris similibus explicat; dum subdit. *Si autem equis frana in ora mittimus, ad consentiendum nobis, etiam omne corpus illorum circumferimus.* Et ecce, naues cum magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur tamen à modico gubernaculo, vbi imperus dirigentis voluerit. Ecce lingua in homine, teste Paulo, est quod frenum in equo, clauus in naui, sic & cauda in piscibus & auibus; à cuius directione reliquorum omnium pendet gubernatio. Verum, vt ait, omnis natura est bestiarum, & volucrum, & serpentum, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest.

II. Nocua
ment a lin-
gua ma-
la.

Linguæ effrenatæ nequitiam prosequens Apostolus, sic inquit; *Lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat.* Ecce quantus (hoc est quantillus) ignis quam magnam syluam incendit: Et lingua ignis

est,

est, vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris; quæ maculat totum corpus, & inflamat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna. Rota natiuitatis est corpus istud, cum quo nati sumus, quod ab ortu vsq; ad occalum, rotæ instar, per continuam inconstantia ac varietatum volubilitatem versatur. Lingua ipsa rota est, quæ infernalibus ignibus accensa, non cessat mille modis maledicta cogerere, mentiri, calumniari, lites mouere, cædes struere, & quasi incendio suo inuoluere quæcunque contigerit. Ac si rotam pice ac sulphure perlitam incensamque circumagas, quæ ædes, horrea, villas, syluas, & oppida integra flammis voracibus absumat. Hanc mala suggestione Satan incedit teste Iob, qui sic habet: *Halitus eius prunas ardere facit: & flama de ore eius egreditur. De ore eius lapides procedunt, sicut tæda ignis accensa. De naribus eius procedit fumus, sic olla succensa atq; feruentis.* Quisque ignitam hanc prauæ suggestionis faculam corde admittunt, etiam ilico flammivomis buccis, conceptum dissidii litiumq; ignem eiaculantur, & inextinguibile, nisi frigida superfundatur, aut alter saltē prudentior se reprimat, exoritur incendiū. Ita Aman totam propemodum, nisi prudens obsti-

tisset Hester, Iudæorū gentem internecioni linguæ virulentia tradidisset. Sicut candelæ imo scintillæ vnius male custoditæ occasione, domus integra, platea, imo & ciuitas tota deflagrare potest, ita linguę incuria. Sic fere illud Hannibalis dictum incendarium erat; dum, quanto inter se odio dissiderent Roma & Carthago, significare cuperet, pede puluerem excitando, dixit: *Tunc inter eas belli finem fore, cum illarum altera in puluerem redigeretur.*

Vocat malam linguam Apostolus, præter supra dicta: *Inquietum malum, plenam veneno mortifero.* Merito inquietudinis notatur lingua sic exstimulata, quia naturali celeritate abutens, dum ipsa à loquacitate & dicacitate mordaci non quiescit; & suum inquietat hospitem ac Dominum, & alios quos fatigat. Plena mortifero veneno, quia præter pestem domesticam, qua laborat, tot vere infecit, quotquot venenata per aurem dicta in animum assentientes admittunt. *In ipsa, inquit idem sanctus, benedicimus Deum, & Patrem: & in ipsa maledicimus homines qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet fratres mei, hæc ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram*

aquam

aquam? Quis sapiens & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conuersatione sua.

Merito sibi igitur quisque attendat videatque, vt linguam suam compescat, neque in malum permittat erumpere: sed illa vtatur ad hæc quorum gratia à Deo concessa est, vt Deum laudet, ei gratias agat, oret, peccata sua humiliter confiteatur, vt eorum remissionem accipiat; denique vt cum proximo suo, & quæ ad vitæ huius commercia loqui necesse est, & præcipue quæ ad solatium, consilium, ædificationem, omnimodamque animæ salutem pertinent colloquatur. Procul absit ab ore omnium Christianorum, quo dicit Propheta Regius: *Fili hominum, dentes eorum arma & sagitta: & lingua eorum gladius acutus.* Item alibi: *Exacuerunt vt gladium linguas suas.*

Quare o homo, ne sis filius hominis, sed Dei, lumen fidei, ducem spiritum sanctum, ac rationis sanæ dictamen sequens, saniora capesse, & ea quæ pacis sunt loquere. Ni forte pro tantilli membri licentia ac voluptate, totum velis corpus ipsamque adeo animam eternæ damnationis periculo exponere.

Non est tanti facienda linguæ voluptas,

III. Legitimus lingua vsus.

quam vel ex mendacio, vel ex irrisione & calumniis, vel scurrilitate, aliisque ineptiis capis, vt æterna Gehennę supplicia, sempiternam confusionem, & dæmonum intolerandã diuexationem sustineas. Vtinã vtinam recudantur omnes linguæ nostræ, & loquantur recte: Dicamus, quoties linguam ad dicendum, quod nõ oportet, senserimus prurientem: *Lingua, quo vadis? Nimis magno mihi constant tuæ excursions, intra tuos limites te contine. Tace, obmutesce.*

Oratio ad Dominum Iesum.

1. **O**mnis lingua, Domine Iesu, tibi debet confiteri, & benedictum nomen tuum sanctificare: at membrum est, quod absque te nullus hominum domare potest: Da mihi gratiæ tuæ abundantiam, vt & meã linguam caute custodire, & aliorum patienter possim tolerare. Amen.

2. **O**mitissime Domine Iesu, q̄ in vita, passione & morte, multa mala audire coactus, neminẽ tamẽ unquã lingua verbove offendisti: omnem procul à lingua mea detractionem amanda, maledicentiam repelle, calumniam remoue; meisque oro calumniatoribus maledicis clementer ignosce, & nouis nos linguis loqui doceto. Amen.

3. Posue-

3. Posuerunt, o Iesu, vide hac & require, homines os suum in caelo, transeunte lingua eorum super terram, neque diuina tua maiestati, neque proximi fama parcetes: da queso, mihi despecto, hanc gratiam, ut pestiferam hanc flammam, qua dabitur, extinguam, & mihi ab eodem sollicite caueam, per sanctissima tua vulnera. Amen.

DE MAXILLIS ET DENTIBVS.

CAPVT XLVIII.



SECUNDO in ore sunt
MAXILLÆ & DENTES.

MAXILLÆ in naturali homine alueus & sinus dentium continent earumque alia est superior, alia inferior.

In scripturis Metaphorice vsquam vires & fortitudinem designant: quas is conterit, qui potentiã & ferociam alicuius infringit.

HOMINIS spiritalis MAXILLÆ

*Maxilla
spiritalis.*

Y

dici possunt vires eius nouæ intelligendi & appetendi, quibus aduersarii impetus, atque carnis appetitiones, quasi alteri Samsoni, vincendæ sunt. Et si interdum nimis fortiter præliando victus ab hoste fuerit, quæ excepit vulnera, lacrymis lauet: plorando ploret de nocte, & lacrymæ eius sint in maxillis eius. *Thren. 3.* Deinde si quæ vnâ ex maxillis eius percussit, si qua ignominia ipsum affecerit, id patienter ferat, adeo prompte, vt paratus etiam sit alteram percipienti præbere. Hoc Christus ipse verbo & exemplo docuit.

Exhortatio.

Confortare in domino, o homo, robusta tibi maxilla pugnandum est aduersus hostes tuos: non est tantum tibi lucta aduersus carnem & sanguinem, sed etiam aduersus principatus, potestates & mundi dominos. Certa prudenter & constanter; si quis enim certauerit, non coronatur nisi legitime certauerit. Si interim maxilla tue ceduntur, ignominiam & iniuriam perpetueris, fortem

te præ-

te presta Samsone[m], perfer & obdura, & tolerando tandem hostem vinctes, precipue vero animator ad mundi huius opprobria & indigna quacunq[ue] patienter ferenda exemplo domini tui, q[ui] miti & humili animo omnem passionis sue amaritudinem & dolorem pro te sustinuit. Non aperiebat os suum agnus innocens, nisi quod pro crucifixoribus suis deprecaretur, & se suamque animam patri commendaret.

DENTES maxillis inserti ad frangendum & terendum cibum, itemque voces formandas, ordine digesti, albi, duri labiis conclusi & nervis colligati sunt.

Dentes in S. literis sæpiuscule translate detractorem, maledicentiam, mordaces calumnias, ferociam & robur denotant.

HOMO itaque spiritualis DENTIVM naturalem & sanctum vsum amplectens, proximum suum mordacis calumniæ & detractorem dentibus malignis non lacerat, sed ex charitate, quam ei debet, tegit quod vitiosum & excusabile, & famam eius pro re nata asserit.

Dentes hominis spiritualis.

Iustus homo falsum alteri nō imponit, occultum proximi peccatum non reuelat, nec mordet; malū suis dictis non auget, nec coram aliis exaggerat; quod bonum est, id non dicit mala factum intentione, neque optima alterius dicta vel facta theoninis dentibus arrodit, virulentave linguæ denigrat.

Exhortatio ad Hominem.

Nunquit non vipera est, dens & lingua detractoris maledici ferocissima & plane, nimirum quæ tam letaliter noceat flatu & morsu vno. Nunquid non lanæa est lingua ista, & gladius acutus Deus arrodens? Profecto acutissimus, qui tres mordet & perfodit ictu vno, illum videlicet, qui loquitur; eum qui audit, & demum illum, de quo fit sermo. Teneris, o homo, proximi tui malum, damnum, ac nocumentum, quantum potes, auertere & impedire. Cur dentibus maledicis mordeas? Expende, homo prius te ipsum, satius est tibi attendere, & tua excutere. Si vis mordere & rodere, in te inuenies plus satis, quod tanquam noxium demordeas & abrodas. Si se in speculo cacabus contemplare-

etur,

tur, suamq; nigredinem attenderet, non hanc idem olla exprobraret. *Omni vitio carere debet, qui in alterum paratus est dicere. Cogita illud Pauli: Ne vos inuicem commordeatis, alioquin consumemini, & illud Iacobi: Nolite alii aliis obtrectare, & maledicere. Prohibe linguam tuam à malo, & dentes à morsu proximi.*

ORATIO AD DEVM.

IN Chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non ad te, Deus, se propius adiungunt, meam vero maxillam firma, ut ad hominum malignorum colaphos excipiendos & perferendos patiens sit & quasi obdurescat. Et quia plerunq; cecutio in propriorum defectuum consideratione, in aliorum vero vitiis sum perspicacissimus: adeoque sum lynx foris, domi talpa: aperi oculos meos, ut proprii vultus maculas rideat, & defleat, aliorum vero vitia non mordeat dens malignus. Constringe dentes meos in usu sanctimonie & Charitatis, ne maledice stringantur in proximum, quem teneor non mordere, sed seruare & tueri. Prohibe Deus ne mihi volupe fit more anatù sordidioribus semper rostrum ingerere; Da vero, ut possim non tam in alios, quam in me & meos naevos lumina, lin-

quam, dentesque defigere, per Christi Iesu obedientiam. Amen. ☐

DE AVRIBVS. CAPVT XLIX.



ACTENVS de *Facie*:
In temporibus vtrinque
sunt AVRES.

AVRIS, in naturali homine, est pars cartilaginosa, flexibilis & sinuosa, qua comode soni & voces excipiuntur.

AVRIS SPIRITVALIS, Clementi Alexandrino, est *Fides*, sine qua mysteriorum Dei nihil percipitur, quam ut aperiamus saepe nos scripturae exhortantur. Haec illa est *auris ad audiendum Deum*. Haec flexilis & prona debet esse ad credendum omni Dei verbo, etiam carnali rationi repugnanti, debet esse perforata ut voces ingrediantur, aures enim obturatae vituperantur.

Hinc gaudebat David Deum sibi *aures ad excipienda mandata sua perforas-*

se. De-

*Auris spi-
ritualis.*

se. Debet esse *circumcisa*, ne præputium impuri peccati obstet verbo Dei excipiendo. Debet habere *iter sinuosum*, & vt vox Dei intus resonet, & diutius intus moretur, ne actutum, sed prudenter & pedetentim, quæ audiuntur excipiantur omnia: cum scriptum sit: *Eum. qui cito credit, leuem esse corde.* Quod hac aure excipitur, per nervos constantiæ & stabilitatis, ne quis omni vento doctrinæ feratur, ad cerebrum id est, *adiudicium sanctæ ac diuinæ veritatis, ac illustratione rationis, ubi omnia discutienda & examinanda sunt, traduci debet.*

Homo vero interim spiritualis aures suas diligenter custodiat, & maxime cū alios de aliis, & quidem aliorum erratis verba facere audiet.

Audi potius Prosperum canentem:

Non pateant faciles sæuis sermonibus aures.

Quæ nescire iuuat, credere non liceat.

Auditus enim à grauiore sono, id est, ab infamia aliorū cum detrahentib. aures cōmodātur, multū offenditur: & vt interne aures à vermib. ledūtur:

Ita spirituales à vermibus adulationis & assentationis, ni homo caueat, corrumpuntur.

Exhortatio ad Hominem.

Audi auribus tuis, homo, si sapias, sapientem, Eccl. 28. Sapi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire. Detractioni, mendaciis, calumniis ad aures tuas aditum nega, ut licet eas verba verberent in animi tamen assensum non intromittantur. Quin potius vel non audiens, vel aliud cogitans, aliudque agens tuo agendi modo præ te feras, quod vel non intelligas, vel non libenter audias. Aures tuas, Deo, veritati & pietati, pauperumque clamoribus pateant.

Ad detractionem quasi surdus sis, ut citra culpam audias si aliter loquentem nec prohibere, nec evitare potes. Ulysses imitaberis, qui Sirenum cantus malo alligatus audiuit quidem, sed his contemptis Syrtes præteruetus euasit: qui etiam suis contra vocum prospexit illecebras, dum aures ipsorum cera impacta præcepit obturari. Alioqui uterque, & qui loquitur, & qui audit, Momus dici potest, & uterque idem os rodere. Noli, inquit Salomō Proverb. 23. esse in conuiuibus potatorum, ne in

comes-

comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, hoc est, ut nonnulli interpretantur, qui maledica lingua virulentia carnes & famam hominum dilacerant: ubi enim carnes comeduntur, communiter & ossa roduntur. Et si hodie iocus & ludus reputetur apud homines proximo detrahere, & aliorum nomen & famam quasi dentibus frustatim discerpere & laniare: Audi tamen potius terribile illud Bernhardi dictum: DetraCTOR & libens auditor, uterq; Diabolum gestat in lingua. DetraCTOR, quia Diabolo linguam detrahentem mouente, tam indignam contra charitatem proximo infert iniuriam. Audiens vero, dum aures detraCTORI prebet accommodas, assentitur, & dat causas liberius fusiusq; in alterius famam grassandi: Audi & illud sapientis; Cum detraCTORIBUS ne miscearis, quoniam repente veniet perditio eorum. Et ruinam utriusque quis nouit? tam scilicet eius qui loquitur, quam eius, qui loquentem audit.

ORATIO AD DEVM.

Circumcide, sanctissime Iehoua Deus, meam mihi linguam, os & aures, ne unquam sim tam profligata cōscientia, & effrenata lingua ut malum de quoquam commi-

nisi ne dubitem: ne etiam per alterius detractiōem cordis interiora commaculentur. Ideo, o Deus aures meas ut spinis sancto tuo timore communiās oro, ut os & aures ad solum detractiōis odorē confestim obstruam, ostia & fenestras occludam ilico, ubi turba & turba noxiorum verborum oboritur, auresque meas sanctis & edificantibus sermonibus reseruem, per Christum Iesum dicentem; Qui habet aures ad audiendum, audiat. Amen.

DE CORDE ET PVLMONIBVS.

CAP. L.

Trunci
membra
inuoluta.



D H V C fuerunt singula capitis membra quodammodo considerata:

Trunci inuoluta membra sequuntur: Eaque tum *Pectoris* tum *Ventris*.

Pectoris inuoluta membra sunt
COR & PVLMO.

COR in naturali homine est fons vitæ, membrum calidum & siccum, figura oblongum suprema parte patens, infima acutū, qua parte ad fini-

strum

strū latus vergit; dilatationis & con-
strictionis perpetuo cietur motu, cō-
tinens duos ventriculos, alterū de-
xtrum, qui sanguine, alterum fini-
strum, qui spiritu abundat.

Cor hominis spiritualis debet es-
se calidum & siccū ignis instar, quia
vt igni naturale est habere calorē: ita
cordi naturale est, amādo ardere, si-
ne quo ardore viuere nō potest, cum
cordis spiritualis vita sit amare. Qui
n. nō diligit, manet in morte. Omni
igitur carnali humore absumto, non
modo sit calidum, sed etiam siccum.

Debet præterea esse cor solidū ac
durum p̄ constantiā, ne facile aduer-
sis concutiatur frangaturue. Esto et-
iā oblongū virtute p̄seuerantiæ: su-
periore parte latū & patens, vt appe-
tat æterna bona, q̄ sunt amplissima,
quib. solis expleri potest, cum sit Dei
benignitatis capax. *Alter a parte*, qua
temporalia respicit, & ad sinistram
spectat, debet esse strictū & acutum,
vt parce & prudenter inferiora spe-
ctet, in eisque versetur.

*Cor homi-
nis spiri-
tualis.*

*Cordis spi-
ritualis
qualita-
tes.*

Duplici motu mouebitur; Si superflua expellet, & vtilia spiritumq; diuinum, auxilio bonę voluntatis affectionis, motæ à spiritus prudentia, cuius est bona à malis secernere, attrahet. Si direxerit, ait Iob, *cor suum ad Dominum spiritum quoque eius ad se attrahet.* Dilatet se hoc cor ad proximum, ita tamen vt etiam *constringat* se ad se, vt dū alios iuuando sua cum illis communicat, sibi quoq; consulat, ne dici possit: *Cor stulti in sinistra eius; sed potius: Cor sapientis in dextra eius.*

Vt autem cor hoc congruenter semper moueatur, alterum ventriculum, dico volūtatē, amoris sanguine; alterū vero, dico intellectum, sapientiæ & veritatis spiritu repletum habeat. In hoc sint effectus spirituales ad Deū erecti, nō carnales.

Exhortatio ad Hominem.

COr tuum, o homo, sollicite custodi, & ab omni impuritate emunda, fac tibi cor nouum, & spiritum nouum; quia vero solus Deus cordi prestat nouitatem & mundi-

ciem.

ciem, cum Propheta, quotidie ora: Cor mundum crea in me, o Deus, & spiritum re-
ctum in noua in uisceribus meis. Sine cordis
munditie Deum videre non poteris, si qui-
dem iis solis, qui mundo sunt corde, promif-
sum est, fore, ut Deum videant. Beati mun-
do corde, quoniam ipsi videbunt Deum.
Mundum cor est ueluti oculus, quo cernitur
Deus, inquit Augustinus. Huius munditie
tibi tanta cura est habenda, quanta est
dignitas rei, quae cordis oculo percipienda est.
Quod si qua turpitudine & duritie cor tuum
senseris affectum esse, procidas coram Deo
cordis tui, & ores, ut ipse sanguine filii sui
immundum emundet, & durum emolliat:
quia cor contritum & humiliatum Deus non
despiciet, illud uidelicet cor, quod se afflicta,
quod se demittit, quod de se parum sentit.
Petere Dominum Deum tuum, ut memor fœ-
deris nobiscum in te auferat ex carne tua
cor lapideum, & det tibi cor carneum, ut
tandem cor rectum habeas; quandoquidem
bonus, id est, beneficus est Deus iis, qui recto
sunt corde; quod qui habent, letari & gloria-
ri possunt in re optima.

ORATIO AD DEVM.

Domine Deus omnipotens, qui caelum fi-
deribus, & floribus tellurem, pulcrum,

quam regali gloria exornasti, da mihi hanc gratiam, ut sanctis cor meum exornem virtutibus, & gratiam in oculis tuis, qui cor intuentur, inueniam. Verum, sancte Deus, cor meum est impurum, tuum est illud sanguine filii tui, & Spiritus sancti virtute expurgare ut mundum sit. Cor meum saxeum est, tuum est illud contere & emollire, ut contritum & humiliatum fiat habitaculum, in quo habites, & quod respicias. Ipse ego meum cor purgare, flectere & emendare non possum. Adiuua me Deus salutis meae, ut cor meum tibi vni integrum & ex toto offeram, ad te solū in solidum conuertā, quando solus cuncta cordis mei desideria explere potes. O Domine Iesu, quando te toto diligā corde? quando tu solus anima mea sponsus & cordis mei thesaurus eris? quando me toto ad te conuertam corde? Conuertere me domine, & conuertar ad te, sanctifica cor meum, & emunda immundam, ut corde recto tibi possim inservire & perpetuas decantare laudes. Amen.

Pulmo.

PULMO in homine naturali carne molli & spongiosa, vna cum aliis mēbris vocē format, cor refrigerat, dum aerem attrahit, quē suo motu puriorem reddit, quo etiam aere spiritus nutriuntur: eundē aerem reti-

net

net & conseruat & calefactum emit-
tit, contractionis dilatationisq; mo-
tu perpetuo cietur. Et vt ab humori-
bus à capite defluentibus facile læ-
ditur, ita ob perpetuum motum non
facile curatur.

PVLMO SPIRITVALIS videri po-
test esse *Voluntas* hominis, quæ vim
appetendi & respuendi habet: hæc
debet esse mollis & tractabilis, hæc
ad vocem orationis piæ formandam
per sancta desideria iuuat: aerem di-
uini spiritus, quo cor refrigeratur &
spiritus nutriuntur, attrahit, & fumū
carnalium appetitionum expellit.
Nunquam à motu, dū vel per amo-
rem se dilatat, vel timorem se con-
stringit, cessat. Cor mentēue circū-
stat & fouet, facile ab humoribus &
superfluis vanisque cogitationibus
à cerebro carnalis rationis deflu-
entibus læditur, vnde morbi cu-
ratu difficiles & mors ipsa emer-
git.

Caue itaque, o homo, ne quid im-

*Pulmo ho-
minis spi-
ritualis.*

puri in capite nascatur, quod resolutum destillet in voluntatem, à cuius recto & bono motu, vita spiritualis maxime dependet. De voluntate vide supra.

DE PVDENDIS RENIBVS ET LVMBIS.

CAP. LI.



ENTRIS inuoluta membra sunt tum *Generationis* tum *Nutritionis* organa.

Generationis organa sunt PVDENDA & RENES adhaerentes lumbis.

PVDENDA & partes inhibitione spirituali inhonestæ esse nō debent, & si quæ reperiuntur, tegendæ sunt. Iuxta illud Exod. 28. *Facies femoralia linea, vt operiant carnē turpitudinis tuæ à renibus vsque ad femora, & vtetur eis Aaron & filii eius, quando ingredientur tabernaculum testimonii, vel quando appropinquant ad altare, vt administrent in sanctuario, ne iniquitatis rei memoriātur.*

Vestis

*Generati-
onis orga-
na.*

*Pudenda
spiritualia*

Vestis hæc in homine spiritali sit virtus *Castitatis*, quæ teget, reget- que pudenda hominis. de qua item supra.

*Femorale
spirituale*

Exhortatio ad Hominem.

HÆc est voluntas Dei sanctificatio tua, o homo ut abstineas a fornicatione, contineas te ab omni impuritate, & scias vasa pudendorum tuorum possidere in sanctitate & honore. Fac itaq; ut iugorationis & spiritus impetum libidinis refrenes, furias vitiorum edomes, mundam & honestam partium generationi deseruientium habitudinem tuearis. Noveris hoc; quisquis in spiritali versaris agone, inter certamina Christianorum duriora esse praelia castitatis. Nam ibi continua pugna, & rarior victoria. Vis autem superare, scex noveris esse; quæ incorruptam membrorum illorum castitatem conseruant, scilicet sobrietatem, laborem, vitæ asperitatem, cultum, sensuum inhibitionem, raritatem sermonis cum honestate, euitationem oportunitatis, personæ, loci & temporis, dicente Cassiodoro. Casta placent superis, & Casta Deus mens est, casta vult mente vocari.

RENES item nonnullis patribus appellantur organa libidinis, & vene-

*Renēs ho-
minis soe-
ritualis
uales es-
se debeāt.*

Z

reæ delectationis symbolum. Hi sunt vrendi. *Psal. 26.* Deus in veteri lege requirebat, *vt duo renes cum adipe, quo tegebantur, sibi offerrentur, & vrentur.* Hinc eisdem spiritualis homo Deo offert, & impuros affectus comprimit & extinguit.

Renes hi debent esse *auro accincti*, h.e. vt placet Basilio, pura aureaque castitate muniti.

Et quia Deus *scrutator renum* esse dicitur, adeoque renes pro occultis cogitationibus, & cogitationum delectationibus vsurpantur, curet itaq; homo spiritualis, vt interius pure & sancte viuat, ne quas minus honestas cogitationes & appetitiones habeat, ne pudeat ob diuinam præsentiam, sed diuinam maiestatem, omnes suos renes perscrutantem, candidereueatur. Si quid inhonestum dicere, aut facere, etiam si leuius esset, coram viro probò eum punderet, non minus, imo tanto magis, quanto **D E V S** maior est ho-

mi-

mine, idem coram diuino numine cogitare vereatur.

Renes adhærent Lumbis, qui interdum sunt fortitudinis symbolum, vt lumbos accingere, sit strenue & fortiter agere, & eos dissoluere, sit se enervare & imbecillem reddere. Deinde vsquam libidinem, concupiscentiam ac generandi vim designant, vt præcingere lumbos, quibusdam sit, caste viuere, & carnis titillationes compefcere.

EXHORTATIO.

O Ra Deum, homo Dei, quotidie, ne impurus spiritus p̄ vanarū cogitationū phantasmata tibi illudat, & illiciti operis tentatio subrepat, ne aureo castitatis cingulo remoto, renes tuos fune præcingat, quod tunc fieri assoles, cum castitatis Zona relaxata, libidinosi nascuntur, tibiq; dominantur affectus. Advigila alacriter, vt dum in hac vita es, lumbos præcinctos habeas, vt caste & incorrupte viuendo carnalibus desideris leuatus & extricatus velociori cursu, ad cœlestem patriam remeare queas. Idque vt sine lapsu & errore facias, lucernam ardentem, qua tibi lumen præbeat, in manibus

gestes, verbum autem Dei sit lucerna pedibus tuis, paratus sis fide, & fidei obedientia, ut aduenientem Dominum, quacumq; hora, expectes, & vigilans excipias.

Oratio ad DEVM.

CAste Deus, casta inuocari vis mente, vrenes meos, & cor meum, compesce appetitiones, & cogitationes, ne quid mali cogitem, aut aliqua turpis concupiscentia me delectet. Vre calore spiritus tui, vre etiam igne illo, quem venisti mittere in terram, & non vis, nisi ut ardeat, vre me igne caritatis & amoris tui, quo, quidquid est impuri, consumitur. Si vri me sensero, & libidinum incendia me contingunt, da statim, ut in mentem reuocem, aeternos illos ignes & cruciatus, qui impudicis & spurcis hominibus parati sunt, & videam, quanto difficilius sit aeternas tartarei ignis flammam, quam leuem & breuem libidinis appetitionem frenare & vincere. Da cogitem, me esse coram te Deo iudice, qui renes scrutaris, & terribilem illam sententiam contra me, si peccauero, ferendam: *I maledite in ignem aeternum. Quam terribile iudicium tuum, Domine, angelis assistentibus, hominibus adductis, libris apertis, operibus inquisitis, rationibus respondentibus, quale iudicium aduersum me feretur, si ad te discessero. Exstingue Domi-*

ne,

ne flammam hanc, ne experiar flammam illam, sed exsultans cum Propheta dicam: Benedicam Domino, qui tribuit mihi intellectum, quo factum, ut renes, qui ad malum solent, esse proclives, increpent & erudiant me, etiam nocte. Da superato spurcissimo castitatis hoste, a te sanctificatus, ab omni impuritate abstineam, & vas meum possideam in sanctificatione & honore, ad tuam gloriam & meam salutem. Amen.

DE

VENTRICULO

ET EPATE, VESICULA

fellis & splene.

CAPVT LII.



Utritionis mēbra sunt primo *Vētriculus & Epar.*

VENTRICVLVS est officina chyloleos: ciborū

receptaculum.

Hic cibū excipit, quē conficit, & in ceteras partes distribuit, ac p̄pterea in medio corpore est collocatus, & ut ab omnibus iuvatur, quæ ipsi adiacent, ita vicissim omnia omnino iu-

Membra
nutritio-
nis.

uat: hoc deficiente, cetera membra deficere necesse est.

Ventri-
culus no-
stris homi-
nis.

VENTRICULI vicem gerit *caritas humana*, cuius duæ sunt regulæ. I. *Tobix 4. Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias.* II. *Mat. 7. Omnia quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Duæ istæ regulæ, vnicam solummodo legem condunt, quæ hoc intus tibi loquitur, *Fac alteri, sicut tibi factum velles*, secundum rectam scilicet rationem. Nam talia tantum sub hanc naturæ legem ac obligationem cadunt, quæ cum Deo, conscientia, ac recta ratione consistunt.

Carnalis ventriculus hyeme ob acres frigoris motus, calore intus collecto, plus cibi appetit, & sumtû cibum facilius concoquit.

Aestate vero, quia vitalis calor diffunditur, vires animalis relaxantur, cibi minus & appetitur & concoquitur: Ita in hyeme *tribulationû caritatis calor intus feruet*, & ideo

spi-

spiritualis cibus durior melius concoquitur, & in sanguinem conuertitur: ex quo fit, vt cum quis plus cibi calamitatum & potus lacrymarum sumserit, plus sumere desideret.

In ætate vero prosperitatis, spiritualis calor disperditur, interiora animæ languescunt, cibus spiritualis nec appetitur, nec libenter sumitur, nec sumtus digeritur. Hinc corrupti humores & spirituales putredines nascuntur, hinc dolores ventris & vermes conscientiam rodentes. Hinc propinantur amara medicamenta.

EXHORTATIO.

Ventriculi instar, o homo, accipe & redde, adiutus iuuato: crebrius animo legem naturæ reuolue, nec sis durus & implacabilis proximo. Distribue bonis bona accepta, neque enim tibi soli natus, nec tibi soli accepisti: accepta pro vocationis munere concoque, & pro caritatis calore digere. Cogita si quem videris affligi: Quid mihi, si tali sim loco, factū velim? Si quid mihi tale accidisset, feci, cemue, quid optem? Si tali essem in necessitate, qualis hunc illumue constringit,

quid mihi fieri desiderem? Sine dubio laboranti,
succurri optem. Quare sic facias proximo tuo, ut
tibi fieri cuperes.

Oratio ad Deum.

Spiritus sancte, patris & filii caritas inexpli-
cabilis, igne amoris tui, quo uniuersam ter-
ram illuminasti & accendisti, cor meum ad ure-
re dignare, ut legem nature & caritatis cordi
meo inscriptam opere expleam, & quod ab alio
nolim mihi fieri, aliquando alteri neuiquam fa-
ciam, sed omnia, quæ opto facere mihi homines,
ipsis vicissim & promte faciam, & ita dona a te,
qui es caritas, accepta, cum aliis liberaliter com-
municem, & obseruatione tui mandati nume-
rer & agnoscar, esse filius Dei, Amen.

*Epar noui
hominis.*

E P A R siue iecur, est officina hæ-
matoseos, & venarum origo.

S P I R I T V A L E I E C V R, potest
esse animi pia affectio & deuotio,
sanguine caritatis abundans, eiusq;
feruore calida, passionis Christi me-
ditatione rubicunda, benignitate
lubrica, in dextra parte, vbi æterna
bona esse dicuntur, collocata, sto-
machum mentis continentis panē

de

de cœlo venientem, & aquam salientem in vitam æternam, mirifice iuans, estque *lætitiæ spiritualis sedes.*

Ex bona enim animi affectione & pia deuotione oritur *vera lætitiæ.* Humores appetitionum a ventriculo acceptos vel in sanguinẽ lætitiæ, vel in cholera doloris, vel in phlegma spei, vel in melancholiam timoris conuertit. Affectio namque varia, varias appetitiones varie efficit, & sicut carnale iecur a nimio calore sanguinem exsiccante, a crasso humore oppilante, ab apostemate aggraunte, patitur, ita spirituale iecur a calore concupiscentiæ, qui sanguinem caritatis exsiccat: a frigidityte deiectæ deuotionis, quæ constringit, a crassis terrenisque desideriis, quæ oppilant, ab apostemate peccatorum, quod aggraunt, a vana gloria, quæ distendit, læditur.

VESICVLA FELLIS super Hepate posita humorem cholericum continet, sanguinem purgat, dige-

*Lætitiæ
vera unde.*

*Vesicula
fellis in
homine
spirituali
qua.*

gestionem regurgitans in ventricu-
lum & intestina, iuuat, cuius vi etiã
vis expulrix roboratur.

Hæc in homine spiritali est *ama-
ra contritio* iuncta Epati affectionis
& delectationis: Tristitia enim cum
lætitia in hac vita solet esse coniu-
cta & permista, ita vt post vnã al-
tera sequatur. Hoc tel languinem
affectum impurorum purgat, dige-
stionem spiritualem, dum volunta-
tem afficit, iuuat, mordacitate sua
pœnitentiam corroborat.

SPLEN in sinistro latere sub ven-
triculo melancholicum succum ex-
cipit, famem in stomacho irritat,
putatur vulgo *risus sedes*.

*Splen no-
si homi-
ni.*

In spiritali homine spleni re-
spondet *Diuinæ iustitiæ timor, tristitia
niger*, in sinistra aduersitatis colloca-
tus, purgat sanguinem affectionis a
vitiis. Timor namque Domini ex-
pellit peccatum; Bonorum operum,
seu potius *Misericordiæ diuinæ, & piæ o-
bedientiæ* famem excitat, rium spi-

ri.

ritualem ob præsentē in terris mœ-
 stitiam gignit. *Timor enim Dei ait cri-
 ptera, delectabit cor, & dabit letitiam,
 & gaudium in longitudinem dierum.* Sed
 de his alibi prolixius.



D E

SPIRITIBVS ET HVMORIBVS.

CAPVT LIII.

H Actenus de continenti-
 bus membris. Contenta
 sequuntur, videlicet *Spi-
 ritus & Humores.*

Contenta
 membra.

SPIRITVS in homine naturali.
 est substātia aerea, toto corpore dif-
 fusa, omnes facultates pro earum di-
 uersitate, ad operationes exercen-
 das iuuans. Hic in Epate primū ge-
 nerari dicitur ob sanguinis ebulliti-
 onē, & eiusdem in aëream substantiā
 resolutionē, & dicitur *Naturalis*: tum

progressus ad cor, purior factus ibi per arterias diffunditur, pulsusque gignens, *vitalis* dicitur: Postremo per latus ad cerebrum motum per nervos efficit, & hic *animalis* nuncupatur.

*Spiritus
noui ho-
minis.*

Hic SPIRITVS in spiritali homine est *Gratia Dei*, purus ille scilicet spiritus, cœlestis, toto corpore mystico fusus, omnes facultates ad operandū excitans & promouens.

*Spiritus
naturalis.*

NATURALIS SPIRITVS dici potest allegorice *Gratia præueniens*, quæ omnino primum requiritur ad vitæ spiritalis initium faciendum. De qua Ier. 31. *Postquam conuertisti me Domine, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.*

Deus itaque sua gratia fauoreque præuenit peccatorem, antequam surgat a peccato, eiusque cor tangit. Hinc Augustinus: *Vt incipiamus dictū est: Misericordia eius præueniet me: Et ut*

per-

perficiamus, dictum est: Misericordia eius subsequetur me.

Spiritus vitalis dici potest, *Gratia concomitans* vitam spirituales incoactam a gratia Dei præueniente continuans & conseruans. Dei enim est non tantum telam salutis in nobis exordiri, verum etiam cœptam per texere, continuare, & conseruare: absque eius numine nihil est in homine. Præuenientis est præuentum comitari & subsequi, subleuare & quasi portare.

Spiritus vitalis.

Animalis spiritus dici potest *Gratia Dei perficiens & consumans*. Spiritus hic perfectionis & perieue atix est, ad progrediendum & perseuerandum, in decursu vitæ spirituali manum porrigens vbiq̃ auxiliatricem. Qui dedit velle, eius etiam est dare perficere. Progressus itaque fit vno spiritu ad alterum, ab vna gratia ad aliam.

Spiritus animalis.

EXHORTATIO.

Nihil potis es, homo, sine Dei spiritu & gratia, nihil places, nihil sancti agis. Gratia Dei es, quicquid es: Gratia Dei potes bonum, quodcunque potes. Non tibi sufficit, ad extrahendum te de seruitute peccati: Hoc igitur modo detumescente, & euanescente omni superbia, subdere liberatori tuo, & sincere dicas: Adhæsit anima mea post te. Triplex, inquit Bernhardus, necessaria est benedictio, præueniens, adiuuans, & consummans. Prima misericordia: secunda gratia: tertia gloria. Præuenit misericordia conuersionem: adiuuat gratia conuersationem: perficit gloria consummationem. Verum in his tribus non immerito dulcius sapit ea, quæ non modo immeritos, sed & male meritos præuenit, ut dum adhuc sumus filii iræ, & operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, & ne petentibus quidem, imo & impetentibus, se non inuocantibus, sed prouocantibus, non interpellantibus, sed etiam repellentibus, spiritum bonum, spiritum uitæ, adoptionis spiritum largiatur. Quid illi anima dulcis sapiat, cui misericordia illa non sapit? Merito proinde benedictio dulcedinis nominatur ea, quæ præuenit, quia quæ adiuuat, fortitudinis, quæ consummat, plenitudinis est.

Verba nō
mea sed
Bernhardi.

ORA-

ORATIO AD DEVM

Domine Deus, da, quod iubes, & iube quod vis. Da mihi gratiam, quæ me peccatorem præueniat miserendo, quæ præuentum me adiuet subleuando, portando, & ubiq; concomitando, nunquam se subtrahendo, meue deserendo, quæ me ad gloriam perducatur perseverantem consummando. Sine tua gratia, Domine, nihil boni nec inchoare, nec perficere possum. Noli mei obliuisci, cum tui sum oblitus, pater, trahere me ad filium tuum. Effunde in me cœlestis dulcedinis benedictionem, ut viuam tibi: da auxilium fortitudinis, ut viuens tibi seruiam: da consummationem plenitudinis, ut tibi in seruiens maiestatem tuam diuinam perpetuo glorificem & celebrem, Amen.

HUMORES in corpore animalis feruntur quatuor, quorum singuli cum elementis affinitatem quandam habent. Sanguis cum aere, quia est calidus & humidus. Cholera cum igne, quia est calida & sicca. Melancholia cum terra, quia est frigida & sicca. Phlegma cum aqua, quia est humidum & frigidum.

Hos quatuor humores, quidã dicunt esse similes quatuor virtutibus car-

Humores
noui ho-
minis.

Humores
noui ho-
minis si-
miles qua-
tuor vir-
tutibus car-
dinalibus

dinalibus. I. *Sanguini*, qui est dulcis, conformis est Temperantia & Modestia. II. *Cholera*, quia est calida comparatur Iustitiæ rigor. III. *Melancholia*, quia sicca & stabilis, similis est Fortitudo. IV. *Phlegmati*, quod est aqueum, confertur Prudentia, quæ veluti aqua est clara & perspicua.

Sanguis.

I. Alii sanguinem hominis spiritualis dicunt esse *Caritatem*, qui sanguis gignitur in corde affectionis, humilis firmæque mentis, & per totum corpus spirituale funditur, cor custodit, omnia membra tuetur, contrahitur ad se, diffunditur ad alios, quo effuso vita spiritualis cessat, & a quovis graui peccato corrumpitur, quo, qui abundat magis sit enuus est, & min⁹ carnalis pinguedinis habet.

Phlegma.

PHLEGMA est affectio cruda, & ob debilitatem caloris caritatis indigesti mores. Omnes quippe imperfectiones homo in hac vita euacuare non potest, vel enim in sanguinem caritatis iure conuertendæ,

vel

vel certe funditus eradicando æsu n.

Hoc humore, qui abundant, sunt carnis effectibus pingues, pigritia tardi, ignorantia hebetes, ingratitude obliuiosi, incōstantia molles, moribus liuidi, elatione tumidi, sputo superfluitatum pleni, torpore acedie somnolenti, potum & cibum spiritualem minus appetunt, res denique inanes facile somniant.

Danda igitur est opera, ut caritatis calor crescat, ut quicquid est imperfectionis cōcoquatur, & in sanguinem conuertatur, aut certe eiciatur.

III. CHOLERA in homine nouo, est contritio & indignatio aduersus peccata & vitia, quæ sequitur calorem caritatis, siccitatem abstinētiæ. Vnde oritur rubor verecundiæ, & amantudo doloris, Subtiliorem reddit spiritualem amoris sanguinē, ut facilius omnia penetret, & fuse lateque sese in omnia membra diffundat, hic impura expellit.

Humor hic reperitur in illis, qui indignantur contra se, suaque peccata, qui in amaritudine animæ suæ recogitant annos suos, qui corpus suum cum Paulo castigant, qui cinerem, tanquam panem, manducant, qui in gemitu suo laborant, denique quorum oculus a furore conturbatus est. Zelus autem sit discretus & cum scientia & conscientia.

*Melan-
cholia.*

IV. MELANCHOLIA est Timor, ex gravioribus peccatis, tum venturæ mortis, tum vitæ æternæ amitendæ. Ex hoc nascitur quædam fames perfectionis & beatitudinis acquirendæ, nec non lætitia, qua homo spiritualis affectus, maximos in via Spiritus facere progressus studet, & velut simplex columba perpetuo canendo plorat ac solitudinem quærit. Hinc Sapiens eum beatum appellavit, qui semper est pavidus.

Exhor-

S
S
nem car
tam. &
du celest
gloriam
ram Deo
hinc tana
ficorum
davo seq

O
G
Et
spiritu
derio
gestiat
& bea
volupt
transfo
vni me
gandiu
p
M
cho

EXHORTATIO I.

Sanguis tuus non sit carnalis, sed spiritu Dei ebulliens & gaudii spiritualis index per suavitatem caritatem & dulcem pacem. Repleatur cor tuum, & omnes vena abundant sanguine gaudii celestis, in Deo sis latus & sanguineus, ad gloriam Dei effunde animi tui maestitiam coram Deo, ardentibus gemitibus & suspiriis, & hinc tandem affectus letitiae ineffabilis, & beneficiorum divinorum, leta recordatio & collaudatio sequetur.

ORATIO AD DEVM.

Gloriose & glorificande Deus, affice me affectu tui amoris castissimo, ut sanguis meus spiritu latissimo se ad te eleuet, succende me desiderio tui feruentissimo, ut ad te sanguis exsilire gestiatur. Refice me infiniti tui gaudii suavi gustu, & beata tua fruitione me satia. pota me torrente voluptatis tuae, inebria me ubertate domus tuae, transforma meam in unam tecum voluntatem, uni me tibi, ut in pace dormiam, ac requiescam, gaudiumque tuum in sanguine cordis mei, & spiritus exsultet & maneat, Amen.

EXHORTATIO II.

Melancholicus succus facit timidos, si melancholicus es, time Deum, eumque toto corde

reuerere: Hic timor cor tuū exhilarabit. Beatus est, qui pavidus est, in timore & tremore operare salutem tuam. Tristitia tua sit non secundum mundum, sed secundum Deum. Tristis sis, quod Deum tam benignum patrem offenderis, non quod a mundo separeris, quod te abneges, quod tibi mundus crucifigatur, quod peccato moriaris. Immo ideo latere summo gaudio. Tristis ob peccatum, time peccatum eiusq; pœnam. Si vis tristis esse & timere: ascende aduersum te tribunal mentis tue, & constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, restis conscientia, carnifex timor, & dices cum Bernharo: Paueo gehennam, paueo iudicis vultum: contremisco ab ira potentis, a facie frigoris, a fragore ruentis mundi, a conflagratione elementorum, a voce Archangeli, & aspero verbo, fte. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?

ORATIO AD DEVM,

TE appello, Domine Iesu, Mundi seruator, nota tibi cordis mei tristitia est, quid metuam non ignoras, me melancholicum ac pavidum non miraris. Tu sis pax mea, tu a pax, tuumque gaudium cor meum triste refocillet. Fas me pacatum & quietum, ut caritatis glutino tibi semper unitus, pacem in te habeam, tranquille, absq; anxietate nimia, cum spiritus libertate omnia vocationis munia exsequar, omnem noxi-

am

am tristitiam, & animum perturbantem sollicitudinem abiiciam, & in te proiciam, cui cura est de me plus quam paterna: & ita in pace tua, que omnem sensum exsuperat, deposita melancholia, constanter gaudeam.

EXHORTATIO III.

Cholericus & biliosus ne sis, iracundia frenata laxans, efferuescentem & ebullientem bilem in proximum tuum ne euomas, memineris potius Satanam ignem igni, oleum camino addere, venenatis suis suggestionibus inflammare bilis tue ardorem, exaggerare ledentis offensam, ultionis incendere cupiditatem, ut contra Deum peccando irata tua, iram eius in te prouoces. Resiste diabolo, & carnem impatientia feruentem, iracundiaq; inflammationes concipientem retunde, & subige, ne pecces, & postea poeniteat te effusa tua bilis.

ORATIO AD DEVM.

Miser ego homo, misericors pater, deprehendo, quod in me, id est, in carne mea non habitat bonum. Intestinus ille & domesticus hostis quotidie me miserum ad omnis generis peccata illicere non intermittit. Presertim vero promte concipit iracundia flammam, & bilis ebullientis feruorem in proximum, sepius temere eructat. Da pater, semper considerem effrenate irae origi-

nem & mala, quæ secum trahit, tuam vero lenitatem, meam infirmitatem & lapsum in eodem offense genere, Christi Jesu amorem, Diaboli incitantis odium, ut iram meam premam ac freno coerceam, & irasci si quidem volo, irascar meis peccatis, nec unquam ita bili meæ indulgeam.

EXHORTATIO IV.

Vitiosum ex animo tuo phlegma dispelle, quod ipsi ignavum iniicit torporem, ne alacriter decurras viam mandatorum Domini tui, sed omnia potius spiritualia exercitia tibi insipida videantur, & in graue tedium conuertantur. Ne Phlegmaticus sis in spiritualibus, ne dormitet anima tua præ tædio. Nisi excusseris acedia hoc phlegma, nec recte orabis, nec attente leges, nec meditaberis sancto, nec opus manuum libebit exercere, imo appropinquabis usque ad portas mortis.

ORATIO.

In vitæ spiritualis exercitiis, quam frigida, quam tædiosa est caro mea. Eripe me, Deus, ex isto noxio torpore, ut liberatus a carnis fastidio confitear miserationes tuas. Ab Deus, quanta mentis est corruptia fastidire, quod dulce est. Trahe me post te, ut in odorem unguentorum tuorum, curram. Opus habeo trahi, quia

*ex phlegmate animæ refrigit in me ignis amoris
tui, nec a frigoris huius facie possum incurrere,
uti aliquando poteram. Redde mihi letitiam
salutaris tui, & principali spontaneoque spiritu
me confirma. redde mihi spiritus alacritatem, &
soli iustitie iterum incalescat, abscedat torpor
maligni phlegmatis, & spirantibus unguentis
tui curram in nomine Domini mei Iesu Christi,
Amen.*

D E

LACTE ET V- BERIBVS NVTRIEN- di infantis spiritualis.

CAPVT LIV.



*A*dhuc fuit exposita ho-
minis spiritualis genera-
tio & e partibus suis con-
stitutio: succedit spiritu-
alis hominis a spiritu Dei generati
CONSERVATIO, qua homo regene-
ratus in lucem cœlestem editus, su-
isque iam partibus constitutus, diui-
na gratia deinceps ad vitam & g'o-
riam cœlestem conseruatur.

Transitio

Conserua
tio noui
hominis.

CONSERVATIO hæc conflat
tum NUTRITIONE tum AVG-
MENTATIONE hominis spiritu-
ali.

Nutritio.

NUTRITIO est conseruatio, qua
ex nutrimento spiritali, spiritalis
hominis indigentia expletur.

Nutrimē-
tum.

NUTRIMENTVM spiritaliale,
quo homo spiritalis alitur, est aut
Infantium, aut *Adultiorum*, illorum
tenue, horum solidum est.

Infantes
spiritalia-
les.

INFANTES spiritaliales sunt tenerio-
res & infirmiores, de quibus 1. Pet.
2. *Tanquam modo geniti infantes lac con-
cupiscite.* Sunt igitur, qui recens in
Christo nati lacte facilis doctrinæ
egent, & solidior em cibum perci-
pere non possunt, qui que pannis in-
fantia sua, nempe humilitate & sim-
plicitate inuoluuntur.

Infantes agere & tractari facile si-
nunt, sunt dociles, amabiles, festiui,
cantu placantur, fallere nesciunt, o-
mnibus se facile coniungunt.

Sic spiritalis infans humilitatis &

obe-

obedienciæ virtute se agi & tractari permittat, docilem se præbeat ab omnibus sanæ doctrinæ lac sugere cupiat, suauibus moribus & affabilitate cum sit imbutus, spiritualiq; pulcritudine ornatus, mellitus, bellus, ideoque amabilis omnibus bonis existit, & cum in Domino gaudeat, festiuum ac lepidum, omnibus, quibus cum versatur, sese exhibet, suauibus vocibus, si quid indignationis aut iræ subortum fuerit, placari se sinit, simplicitate sua potius se decipi patitur, quam aliquem decipiat, ob parentis minas contremiscit, præ lætitia spirituali ridet, & arridet piis, flet cum flentibus, quibuscunque offensus unculis in lacrymas prorumpit, & tunc maxime, quando lacte doctrinæ & gratiæ priuatur, quod deforme & turpe apparet, fugit, omnium denique opem implorat, ac iuuari expetit.

INFANTILE igitur *nutrimentum* est LAC facilioris & apertioris do

*Infantile
nutrimē
tū, Lac.*

etrinæ cœlestis, nempe *Catechetica salutis doctrina, seu populare doctrina cœlestis compendium*, unde discit spiritualis infans, quomodo DEVS a nobis recte cognitus, recte coli possit, & nos beati euadamus. Alii simpliciter intelligunt *moralem doctrinam*, quæ præberi consuevit iis, qui prima eruditionis salutaris elementa suscipiunt. Chrysostomo *Lac est prima illa eruditio, qua fideles instituuntur*, & apud Paulum lac est *de minimis & facilioribus rebus sermo*. 1. Cor. 2. Sicuti panis est solidior cibus, nempe de rebus altioribus & grauioribus disputatio. Lacte utitur nutrix illa prudentissima, quæ non in sublimitate sermonis, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus venit suos lactatum filios.

Vbera.

VBERA ex quibus lac hoc sugitur & emulgetur, quibusque spiritualis infans lactandus est, sunt duo libri sacræ scripturæ, nempe VETERIS & NOVI TESTAMENTI

scripti a Prophetis, Apostolis & aliis viris spiritu Dei locutis: qui soli sunt canon, regula seu norma fidei & bonorum operum. Solum enim verbum Dei Prophetis & Apostolicis libris comprehensum est a Deo inspiratum, ad solum hoc Deus vult omnes fideles esse alligatos. Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino, ne addas quidquam, nec minuas. Ad legem & testimonium, &c. Habent Mosen & Prophetas, audiant illos. Superstructi sumus super fundamentum Prophetarum & Apostolorum.

NUTRIX vbera præbens & proponens sunt *Orthodoxi Pastores & doctores Ecclesie*, qui se captui suorum auditorum accommodantes prudenter lac doctrinæ cœlestis illis exhibent. *Bonus doctor*, ait Augustinus, *vulgi more loquatur, ut ambiguitas, obscuritasque vitetur, non sic dicat, ut a doctis, sed ab indoctis intelligi possit, & dici solet.* Quid enim prodest

Nutrix.

locutionis integritas, quam insequitur intellectus audientis.

Mibi quinque potius verba, inquit cum Paulo Gregorius, in Ecclesia cum prudentia intelligenter loqui contingat, quam infinita in lingua ignota & voce tubarum, que militem meum nequaquam ad spiritualem excitet pugnam. Eam enim ego sapientiam laudo & amplector, per quam ignobiles facti sunt gloriosi, & despecti honorem acquisiuerunt, ac cum qua piscatores orbem uniuersum Euangelii ceperetibus, dum sermone perfecto & succincto sapientiam superarunt inanem.

EXHORTATIO.

SI infans es, & infirmior, si puer, & rudior in doctrina coelesti, agnosce te etiam infantem & puerum & primum pete lac doctrinae salutis, solidior cibus conuenit adultioribus. Ne sapias ultra aetatem & vires tuas, metire te tuo pede, humilitatis & obedientiae virtuti, tuam agnoscens imbecillitatem, stude, & ex uberibus coelestis veritatis, verbi scilicet diuini, salutare lac suge. Noueris autem initium sapientiae, quae existis sugitur mammis, esse Dei timorem. In male-

uolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et quoniam stultitia colligata est in corde pueri, qui etiam fluctuat & omni vento doctrina circumfertur: uide solidum caelestis & salutifera ueritatis fundamentum iacias, superstructus super fundamentum Prophetarum & Apostolorum Caueas tibi a lacte impuro meretricum, rationale & sine dololac, de quo Petrus ait, concupisce, ut per illud crescas in salutem. Hoc lac ueritatis & sapientiae si suxeris, lacte etiam diuinae gratiae & spiritus nutriaris & augeberis.

ORATIO AD DEVM.

INfantem me & puerum in diuinis tuis mysteriis rudem agnosco, Deus o plenissime sapientiae fons, praebe mihi ubera gratiae & spiritus tui, praebe ubera ueritatis & sapientiae tuae. Tibi, tuo spiritui, tuoq; uerbo simplicem me puerum totum erudiendum subiicio, lacte me doctrinae salutaris lacta, & prohibe ab ore cordis mei Haeticorum & Heterodoxorum adulteratum lac, ne uenenum sugens inficiar, infectus intumescam & peream: solum uerbum tuum recte intellectum, sit norma fidei mea, sit lucerna pedibus meis & lumen semitis meis. Desertus ab omnibus, omnia mundana & ego deseram puer, & curam cum eiulatu meo in sinum tuum iactabo, & enutries

me, qui das escam omni carni, & pupillis coruorum invocantibus te. *A matre & nutrice humana derelictus infans clamabo eū pupillis coruorum ad te, qui dicis: A meo utero te porto, a mea vulua te gesto, usq; ad senectam ego ipse, & usq; ad canos ego portabo: ego feci, ego feram, ego portabo & alitabo. Et alibi: Nāquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filii uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamē non obliuiscar tui. Vias igitur tuas ostende mihi, & semitas tuas edoce me, & fac mecum secundum verbum tuum ad salutem meam, Amen.*

D E
ADULTIORVM
 CIBO & POTV, IN
 genere.

CAPVT LV.

Nutri-
 mentum
 adultio-
 rum.



NUTRIMENTVM adultiorum, quo nutriuntur, est solidior cibus & potus manducantium, & potantium, seu esculentam & potulentum, illius appetitio *fames*, huius *sitis* dicitur.

Adul-

Ad
 Centes,
 Senes.
 Ad
 pedago
 quada
 lem vit
 untur,
 virtut
 homin
 dire sa
 am, &
 Iv
 qui i
 profe
 forte
 mod
 boran
 reinci
 iugo se
 Vi
 virtute
 pro vi
 stianar
 potest,

Adulio es sunt primo *Adolescentes*, & *Iuvenes*, deinde *Viri*, & *Senes*.

*Adulio -
es qui.*

ADOLESCENTES spirituales pædagogico amplius non egentescū quadam animi alacritate spiritua- lem vitam aggrediuntur & ingrediuntur, qui solidiore doctrina instituti virtutib. florere incipiunt, veterē hominē exuere studēt, legi Dei obedire satagunt, vt ita corrigant viā suam, & Christum sequi annitantur.

*Adole-
scentes
spiritua-
les.*

IUVENES SPIRITVALES sunt, qui iam in verbo DEI & veritatis profecere multum, & spiritu sunt fortes, qui vitæ suæ rationibus non modo se, sed etiam alios iuare laborant, qui grauiorē molestias ferre incipiunt, quique vocati Christi iugo se subiiciunt &c.

*Iuvenes
spiritua-
les.*

VIRI SPIRITVALES sunt qui virtute & robore spirituali solidati pro virili sua ad perfectionem Christianam, quæ in hanc vitam cadere potest, conēdunt, & tanquā g gātes

*Viri spiri-
tuales.*

in via mandatorum Dei currunt, qui aperto Marte cum hostibus suis depugnant, idonei ad spiritualem generationem, quibus omnia etiam cooperantur in bonum.

Senes spirituales.

SENES SPIRITVALES sunt, qui improbiis animi perturbationibus sedatis, nullo maiore motu rationi repugnante commoueri se, qua hic fas, patiuntur, Christianæ sanctitati, iustitiæ, & integritati se totos mancipant, carnem suam crucifigentes, concupiscentiæ rerum carnalium æstu, non adeo amplius calent, sed in carne mortui quasi, vitam quandam cœlestem in fide filii Dei viuunt, quotidie student se magis magisque abnegare, crucem suam portare & Christum suum sequi.

NOTA.

Non tamen hic sibi quis omnium graduum huic vitæ impossibilem perfectionem imaginetur, de studio, conatu, & serua contentione hic nobis sermo est, qua contendimus cum quadam lucta aduersus omnia ob-

stacu-

facula p
celestem
stione ex
um pra
um vitã
perfectio
tu. Est q
fectio
mentis, e
morum
vix futu
ctioe i
absoluta
entia in
N
horum
spirit
CIB
ter vo
uens
S TVS
tus pro
ret, lo
CIB
ducant
cordib
Po

stacula per angustam viam ingredi vitam
coelestem: qua etiam agnita nostra imperfe-
ctione ex fide Christi, obedientiã erga De-
um præferre omnibus rebus mundi, ac ei to-
tam vitã approbare nitimur. Sita igitur hæc
perfectio est in affectu potius, quam in effe-
ctu. Estque huius vitæ perfectio, non ex per-
fectione nostræ iustitiæ, sed ex rectitudine
mentis, ex puritate cordis & affectuum, &
morum integritate quadam æstimanda. At
vitæ futuræ perfectio æstimabitur ex perfe-
ctione iustitiæ, vbi erit plena notitia Dei,
absoluta cordium puritas, & perfecta obedi-
entia in omnem sempiternitatem.

Nutrimētum vero adultiorum
horum est tum CIBVS tum POTVS
spiritualis animarum.

CIBVS spiritualis animorum præ-
ter verbum Dei animas nostras fo-
uens & reficiēs, est ipse IESVS CHRI-
STVS filius Dei, caro factus, macta-
tus pro mundi vita, vt nos viuifica-
ret, Ioan. 6. *Caro mea vere est cibus.*

Cibus hic parandus est fide, man-
ducandus fide, vt afferat satietatem
cordibus veram & vitam æternam.

POTVS spiritualis animarum est

Nutri-
mēti di-
uisio.

Cibus spi-
ritualis.

Potus spi-
ritualis.

spiritus sancti gratia ex veteri nouū hominem faciens & quot die perficiens. Potus hic datur a Christo, Iohannis 7. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Ipse enim est fons vitæ.* Datur vero sitientibus. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Iesa. 55. Datur gratis propter Christum ex bonitate tantum Dei. Fide autem in Christum bibitur hic potus, seu gratiæ spiritus sancti, Iohannis 7. Hoc dicitur de Spiritu, quē accepturi erant credentes in eum.

Hic tamen cibus, & potus suo modo ne utiquam infantibus & pueris spiritualibus denegatur, sed omnibus Christianis communis animis per fidem affert nouæ vitæ refectiōnem.

EXHORTATIO.

NE semper maneat infans & puer intelligentia, sed laudabiles tibi in curriculo vitæ spiritualis progressus sunt faciendi, solidiore doctrina opus, & vita doctrinæ isti respondente indies sanctiore opus est. Vide itaq; ut de alimentis tibi prospicias, quibus quotidie fruens fouearis, &

ex-

exsatiaris. Verbum cum primis Dei libenter & cum voluptate audi, & annitere, ut opere perficias. *Meus cibus, inquit, Saluator tuus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius. Si igitur ipse venit non ad saginandum corpus, non ad cutem lautè curandam, sed saluandos homines, fac tuus quoq; cibus sit libenter facere voluntatem patris tui, eiusque opus perficere. Suauis tibi, non grauis cibus sit verbo Dei pasci, & ex verbo Dei facere voluntatem eius. Hic cibus semper tibi est in promptu, nusquam deest, (didicisti enim doctrinam coelestem) hoc si vesceris, nunquam languescis, sed mirum in modum vires tuae instaurantur. Audi Dominum Iesum tibi præcipientem: Operamini non cibum, qui perit, sed, qui permanet in vitam eternam, permanente cibo vescere, & non morieris: si reucies, te ipsum necabis. Cibus tuus sit Christus Iesus pro te mortuus. Potus sit spiritus sancti gratia te viuificans in vitam eternam. Ut autem spiritali hoc cibo potuque delecteris, a comessationibus, & comotationibus carnalibus te contineas, ne fias carnalis, qui esse cupis spiritalis. Siquidem spiritali vitæ multum abdominis vitium, quo maxime carni seruitur, repugnat. Male dominae seruitur gula, quæ semper expetit, nunquam expletur. Ventre nihil insaturabilius, hodie suscipit, cras exigit. Fuge has comessationes, has com-*

potationes mundi, opprimunt virtutes, quarum debes esse sectator, castitatem expugnant, libidinem accendunt, intellectum obtundunt, voluntatem deprimunt, memoriam obruunt, corpus aggravant, carnem insurgere contra te faciunt, vires debilitant, calorem exstinguunt, innumeros deniq; morbos gignunt. Si vis manducare ad vitam, manduca Christum fide, & pascere eius verbi pabulo: si vis potare, accurre ad fontem vite Christum, & bibe gratiam sancti Spiritus te in eternum vivificantis.

Oratio ad DEVM.

GRatias tibi ago, Domine Iesu Christe, sponse anime mee, quod me ad tantam dignitatem exaltaris, ut tuus servus, amicus & frater, & tui corporis membrum, effectus, particeps iam sim sanctissimi conuiuii tui, in quo pascis me verbo tuo, in quo te ipsum mihi das in cibum, & me Spiritus sancti tui gratia sitientem reficis ac potas. Da, Domine Iesu, ut hic ita edam & bibam, ut in caelis in regno tuo, tibi coheres tecum in perpetuum letari possim. Da, Domine Iesu, ut tuus cibus ac potus a me fide receptus in succum & sanguinem meum conuersus vivificet me? Planta quotidie in corde meo veram fidem altius, spem firmam firmitus, ardentem caritatem tenacius, ut Christiane obedientiae fructus

feram

feram multiplices, ac in fide inueniar stabilis, in fidei actione deuotus. *Cauere, Domine Iesu, ne vētri meo obediam, sed spiritui paream, ne templū tuum carnis epulis infarciam, & vino luxuriāte madefaciā. Portare debeo Deū in corpore meo, quomodo autē possum repletus cibo & potu carnis. Eleuari debeo ad cœlestia, caue ne me crapula degraue. Prohibe, sancte Deus, ne sim ex illis, qui comedunt & non satiantur, qui comedunt onna aspidum, qui comedunt uiam acerbam, qui sanguinem, & velut Anthropophagi carnes hominum deuorant, sed, ut te cibum animæ meæ fide manducem, & ex te fonte vitæ bibam gratiam viuificantem spiritus tui ad vitam æternam, Amen.*



DE

FAME ET SITI SPIRITUALI.

CAPVT LVI.



IBI seu Esculenti appetitio dicitur **FAMES**: sicut potus, seu potulēti appetitio **SITIS**.

Bb 3

Fames
spiritua-
lis.

FAMES & ESURIES spiritualis est, de qua Christus ait, Mat. 5. *Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

Hęc fames, est vehemens appetitio misericordiæ & gratiæ Dei Patris in Christo nobis promissæ, paratæ, oblatæ, & iustitiæ eius, quam ipse nobis acquisiuit sua obedientia, ea ut nobis imputetur, & sensu diuinæ gratiæ afficiamus appetimus.

Est & fames piorum expetens quotidie summo cum desiderio puriorem vitæ sanctitatem, quæ oritur ex sensu infirmitatum, quibus se obnoxios esse peccando sentiunt, dum exsatiari vitæ puritate & iustitia incoata non possunt, & iustificari magis, magisque discupiant, maioraque charismata æmulantur. Et hi esurientes tandem implebuntur bonis.

Est & alia spiritualis fames, æterni scilicet cibi, seu æternæ gloriæ, & beatitudinis, quæ cum apparuerit,

ele-

electe
necam
SIT
lectis g
entia p
torque
scienti
ire De
tim sen
terram
uinæ
conc
qua,
le cu
uit in
Si
qui
danti
magis
re, co
cessio
De
iustor
dend
de to

electi esurientes plene satiabuntur,
nec amplius esurient.

SITIS spiritualis est intensum cœ-
lestis gratiæ desiderium, quo consci-
entiæ peccatis pressæ affliguntur &
torquentur. Anxietas enim con-
scientiarum, sensus peccatorum, &
iræ Dei siti comparatur. Hanc si-
tim sentit, qui cum sentiat se veluti
terram aridam esse sine humore di-
uinæ gratiæ, aut calore humanæ
concupiscentiæ ardere, spirituali a-
qua, quæ de petra fluxit, refrigerare
se cupit, & cum Propheta dicit: *Siti-
uit in te anima mea.*

Sitis etiam spiritualis eorum est,
qui maiorem aquæ viuificæ abun-
dantiam concupiscunt, qui magis,
magisque Deum cognoscere, ama-
re, colere, & maiores in pietate ac-
cessiones facere exoptant.

Denique sitis spiritualis est illorū
iustorum, qui ardent desiderio vi-
dendi Deum, & cupiditate potandi
de torrente voluptatū eius, & veluti

Sitis
spiritua-
lis.

onagri & cerui, ad fontem aquæ vi-
uæ anhelant.

EXHORTATIO.

○ *Homo famelice, quæ te fames excruciat?
Peccatores, qui de terra sunt & terrena sa-
piunt, & non possunt percipere, quæ sunt Spiri-
tus, famem verbi Dei patiuntur, legis mandata
non audiunt, prophetarum correctiones nesci-
unt, apostolicas consolationes ignorant, non senti-
unt Euangelii medicinam. De his dicitur: Inua-
luit fames super eos. Hanc famem patiebatur fi-
lius prodigus, qui a domo paterna, in qua, qui
manent, abundant panibus, longe recesserat, &
proinde se fame perire dicebat, porcorumq; sili-
quis vescebatur. Reuerere Deum parentem tu-
um, & mane in domo paterna, audi minitantem
per Prophetam Amos: Ecce dies veniet, dicit
Dominus, & mittam famem in terram, non fa-
mem panis, & sitim aquæ, sed audiendi verbum
Domini. Quæ te fames habet, homo? Esuri gra-
tiam, esuri iustitiam, esuri gloriam Domini ser-
uatoris tui Iesu Christi, & profecto saturaberis.
Quam sitim patitur anima tua? Vide ne male si-
tias, aliorumq; diuitias auarus bibas, ne moria-
ris in siti tua. Siquidem auaro tam deest, quod
habet, quam quod non habet. Auide potius siti-
as animæ tuæ salutem, thesauros in caelis repositos,*

tos, Cur
Spiritus
nam in c
mibus

OR
Vides
Sper
aper ma
redition
mensam
diffine
vehem
gratie
quam
diuino
carnis
catione
quod si
meam
ro sim
luptatur
expetam
da vers
terra, q
tuum cu
mensam
bos pro
quo anim

tos, Christum Iesum cum partibus suis beneficiis, Spiritus sancti gratiarum incrementa, & æternam in cœlis gloriam, quam promisit Deus omnibus iustitiam sitientibus.

ORATIO AD DEVM,

Vides o pater cœlestis, oculos etiam meos in te sperare, famem & sitim gratiæ tuæ patior, aperi manum tuam, & imple animam meam benedictione. Accumbere famelicus & sitiens ad mensam gratiæ tuæ vehementer desidero. Cupidissime desidero te, tuamque gratiam, o Deus, & vehementissime misericordiam, & diuinæ tuæ gratiæ fontem anhele, desiderio iustitiæ maioris, quam in me spiritus tuus bonus est exorsus, estuo, diuinorum tuorum charismatum, augmenta, carnis meæ mortificationem, & Spiritus viuificationem gemitibus a te postulo. Da mihi Deus, quod sitio, da mihi, quod esurio. Sitio & esurio meam salutem, & tuam gloriam. Exstingue vero sitim rerum mundanarum, tolle famem voluptatum carnalium, ut præter te, & tua, nihil expetam, nihil sapiam. Vides me in terra torrida versari, cui desunt aquæ viuæ, in hac inquam, terra, quæ est veluti desertum inuiuum, me seruū tuum ciba & pota. Paraisti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me, in quibus cibos proponis salutare, potum propinas letitiæ, quo anima mea recreari potest. Rege & pasce me

ouem tuam semper in loco pascuae herboso, ubi vero erravi, reduc ouem errantem, & ad fontem vite deduc, ubi peccando sum prolapsus, oneratus & defatigatus. O pastor fidelis, require ouem, porrige dexteram, renoua me immundam, refice me iterum poenitentem in mensa gratiae tuae, ut accumbens in mensa gloriae tuae caelestis, cum Abrahamo, Isaaco, Iacobo, & omnibus sanctis, exhilaratus te glorificem in secula seculorum, Amen.



D E

C I B O E T P O -
T V I N S P E C I E, P A N E
& carne, vino & aqua spi-
ritualis hominis.

C A P V T L V I I .

*Cibus &
potus spi-
ritualis in
specie.*

*Panis spi-
ritualis.*



N specie cibus homi-
nis spiritualis est P A N I S
& C A R O: Potus est
V I N V M & A Q V A.

P A N I S spiritualis verus est, qui

de

de celo
do. Ego
qui veni
in me, n
dat mihi
venit a
panis v
tantib
tst ven
traxer
nouiss
dens,
mori
ne vi
C
& ho
mun
bi par
CA
tualite
quafi
quem
bo pro
vobis,
homin

de cœlo descendit, & dat vitam mūdo. *Ego sum, inquit Iesus, panis vite, qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me, non sitiet in æternum. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non eiciam foras. Ego sum panis viuus, inquit Christus murmurantibus: qui de cælo descendi. Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum, & ego resuscitabo eum, in nouissimo die. Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Si quis manducauerit ex hoc pane uiuet in æternum.*

Christus itaque Iesus verus Deus & homo, mactatus & mortuus pro mundi vita, fide manducatus est tibi panis & cibus viuificus.

CARO vero, qua spiritalis, spiritaliter uelcitur ad vitam æternam, quæ sit, audi eundem Iesum: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita. Amen, Amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem,*

Caro spiritalis.

non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea, vere est cibus, & sanguis meus, vere est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Hanc carnem, & hunc sanguinem, dat manducandam etiam, & bibendum in sacratissima cœna, ubi dicit: Accipite, comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Bibite ex hoc omnes: hic calix est noui testamenti in sanguine meo, qui effunditur pro vobis in remissionem peccatorum.

CARO igitur filii Dei, mactata pro mundi vita, & fide manducata est tibi cibus viuificus: Sanguis filii Dei, effusus in remissionem peccatorum tuorum, & fide acceptus & bibitus, est tibi potus viuificus ad vitam æternam.

*Vinum
spirituale.*

VINUM hominem spiritualem exhilarans i. Est sanguis Iesu Christi, effusus in remissionem peccato-

rum,

rum, &
quoian
quem,
in cœn
II. Est
tissimu
sanguis
quem
bibend
moris
mini ca
pro vo
fluent
rite, i
est, p
uato
Sang
sed m
sed ad
ad vita
mi, vi
mei pa
meant
huc sub
Christi

rum, & fide salutariter hauritus, de quo iam : *Sanguis meus est vere potus, quem, qui bibit habet vitam eternam. Et in cœna : Bibite ex hoc omnes.*

II. Est summa illa caritas, & ardentissimus amor Iesu Christi, per quem sanguis eius ex corpore suo est fusus, quemque dat Ecclesiæ sponsæ suæ bibendum & hauriendum cum amoris pleno gaudio: *Bibite & inebriamini carissimi. Contemplamini me cruci pro vobis ex summa caritate affixum, profluentem sanguinem meum cernite, haurite, inebriamini. Hoc vinum merum est, pura & efficax caritas, nullo privato amore, aut utilitate permixta. Sanguis iste clamat non vindictam, sed misericordiam, nō ad dolorem, sed ad amorem, non ad mortem, sed ad vitam. Bibite & inebriamini carissimi, vinaria cella est aperta, porta lateris mei patet, ingrediantur peccatores, non timeant: Dominus vocat. Quid sitientes adhuc subsistunt? cur non ingrediuntur, ut Christi amor eos reficiat.*

III. Aliis vinum etiam putatur esse homini spirituali, verbi diuini & sapientiæ cœlestis, pia & salutaris cognitio, quæ vini instar cor hominis lætificat, roborat & nouos generat spiritus.

Aqua spiritalis.

AQUA spiritualis, quæ sordes lauat, mentem irrigat, spiritum vegetat, animam exhilarat, siccitatē tollit, æstum concupiscentiæ sedat, sitim rerum caducarū extinguit, cor viuificat, est SPIRITVS SANCTI GRATIA a Christo fonte vitæ data, de qua Christus: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Item: Qui credit in me, sicut inquit scriptura, flumina de ventre eius fluent aqua viua.* Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eam. Ies. 45. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Christus Ioan. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitit in æternum.* Fluius diuinarum gratiarū de cœlo fluit, a Deo per Christum, qui est agnus, & animas nostras reficit, & resiliens in cœlū, vnde

de-

defluxit
nam per
haulta, f
xietatem
dentes
num.
Hæc
inspici
bus pro
Co
de qu
Et fac
popul
um, c
Ca
poc.
quis a
mibi
cum il
II. Ef
quida
loru
stant
temp

defluxit, eas sanat, & ad vitam æternam perducit. Hæc aqua a Christo hausta, sitim auferret, cordis scilicet anxietatem, & ariditatem, & viuificat credentes & fide bibentes in sempiternum.

Hæc alimena, hic cibus, hic potus in spirituali conuiuio & cœna fidelibus proponuntur & exhibentur.

CONVIVIUM spirituale est illud de quo Iehoua apud Iesaiam cap. 25. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemia defecata. &c.*

Cœna spiritualis est illa I. de qua Apoc. 3. *Ecce, ego sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipse mecum.*

II. Est cœna illa magna, quam homo quidam fecit, Magna scilicet, ferculorum multitudine, varietate & præstantia: discumbentium numero, & temporis diuturnitate.

Conuiuia
spiritualis.

Cœna
spiritualis.

III. Est cœna illa salutatis, in qua Christus ipse sumitur, in qua dato & manducato pane sanctificato, accipitur & manducatur corpus Iesu Christi pro nobis in mortem traditum: in qua dato & bibito vino e calice benedictionis, datur & bibitur sanguis noui testamenti effusus in remissionem peccatorum nostrorum.

IV. Cœna illa æterna, de qua Christus Dominus: *Dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Luc. 22.* Et, *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt, ad quam, qui introducti fuerint, clara voce dicent: Gaudeamus & exsulemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & uxor eius (Ecclesia) ad cælum erecta se preparauit.*

Hinc sequitur spiritualis EBRIETAS, quæ ad spiritualia bona facit animi spirituales excessum, ut immemor sollicitudinũ omnium huius vitæ, vino iucunditatis cœlestis exhilaretur.

Ebrietas
spiritualis.

Hic

Hic
mo am
inbri
mo qu
eorum
briabo,
tia scilic
In a
abvbe
rente
dabit
E
G
E
hac in
alimen
Parauit
aduersu
& vini
nini me
liberalis
& potu
de celo
data, pr
Sanguin

Hic inebriantur spirituales summo amoris divini excessu. *Bibite & inebriamini.* Inebriantur etiam summo quodam gaudio, dum animus eorum diuina repletur lætitia: *Inebriabo, inquit Deus, populum meum, lætitia scilicet & bonis spiritualibus.*

In altera vita beati inebriabuntur ab ubertate illius domus, cū de torrente voluptatis suæ cœlestis potum dabit eis.

Exhortatio ad Hominem.

GEeneratus es, homo Dei, per spiritū filii Dei, & factus filius Dei, orsus es vitam Dei, vita hæc in te conseruanda, nutriendus es spiritualibus alimentis. Homo nouus, nouis epulis pascendus. Parauit Deus in conspectu tuo mensam salutis aduersus inimicos tuos, conuiuium pinguium & vini meri tibi apparauit. In huius sancti conuiuii mensa sacratissima, ut alaris & fonearis, liberalissima patris tui benignitas pascit te cibo & potu salutifero, panem tibi porrigit vitæ, qui de cœlo descendit, ut vitam daret mundo: Carne data, pro mundi vita te nutrit ad cœlestem vitā. Sanguinem in calice tibi exhibet bibendum, qui

in remissionem peccatorum tuorum est effusus. Aquam vitæ cœlestis, quam si bibis, in æternum non sities, propinat: & vino salutis, vino amoris diuini, vino interni gaudii te exhilarat, ut ab ubertate domus Dei inebrieris. Vocaris & hodie ad conuiuium cœleste, ad cœnam magnam, ad mensam saluatoris & pastoris tui, veni, parata sunt omnia, veni planta est patris cœlestis, ipse enim te non eradicandam plantauit.

Riganda est planta Dei, ne paulatim pallescat, & colorem amittat, pereunte simul odore & sapore. Venire ne recusa: si enim Dominus recusat & reiicit, qui ipsius nuptias contemserunt: quid faciet iis, qui gustatam suauitatem nuptiarum repudiant? Si populum Israeliticum, quod ad Mannæ suauitatem gustatam nauseabat, & coturnices postulabat, ita Deus puniret, ut inter cibum immisceret mortem, quid fiet iis, qui verum manna cœleste postquam gustarunt, spernunt: Vt Esau, qui pro pulce lentium ius primogenitura vendidit, toto vitæ tempore cum doloribus est conflictatus: sic profecto pleni miseris, & angoribus, reliquam vitam transigunt, qui ob rem exilem, vitæ panem, vitæ aquam, tanti conuiuii, tantam mensam fastidiunt, imo ipsum Christum primogenitum fratrem suum diuendunt.

Qui semel gustarunt Spiritus sancti dulcem cibum & potum, & deinde Christi sanguinem

sper-

spernunt & conculcant pedibus, ii profecto gra-
 vissimum Dei experientur iudicium. Veni, &
 vescere de mensa Domini tui, ut reficiaris epulis,
 & vino amoris diuini. Cibus & potus assumtus
 corpori nutriendo assimilatur, Christus fide a te
 receptus tecum coniungitur arctissima vnione.
 En hic desiderium Christi intime coniungendi,
 atq; adeo vniendi se tibi rei amata. Communio-
 ne vnus spiritus, & vinculo amoris coalescetis.
 Amat te Christus cibus tuus, quia cor suum
 tibi gaudet largiri. Dat. carnem suam tibi in ci-
 bum, & sanguinem suum tibi in potum, omniaq;
 beneficia sua tibi in refectionem ac salutem. Ita
 se tecum communicat saluator tuus. Amat te
 Iesus, porrigit amoris poculum, quia te amantem
 de se amante, te semper vult cogitare. Hoc fac
 in mei inquit memoriam. Amans Iesus a te a-
 mari vult, ideo te tam sacro amoris conuiuio a-
 manter excipit. Veni, homo vilis & abiecte, ve-
 ni, & veniet ad te benedictus in secula Deus.
 Veni, & Christi, sanctorumq; angelorum pre-
 sentia augustissima honoraberis. Veni, & fies
 templum viuum Spiritus sancti. Veni, utere fru-
 ere, & fies lucidissimum coelum, in quo Deus cre-
 ator, filius redemptor, Spiritus consolator habita-
 bunt. Veni, & vescere, gignesque in te Chri-
 stum, & Christus gignetur in te spiritualiter,
 erisq; mater Iesu. Veni & accumbe, & fies ho-
 spes CHRISTI, quem in domum cordis tui

Arcam attingere tantum fuit nefas, ut Oza extendens manum ad eam minitanti casum, subitanea morte percussus sit: quid mihi fiet indigno? Memor sum, Domine, multorum graviumque criminum, quibus diuinam tuam maiestatem offendi in hoc mundo. Ego, ego fui insipiens ille, qui dixit in corde suo. Non est Deus. Tam dissolute vixi. Tui oblitus fui: apud me pulvis creatura maiori fuit in precio, quam thesaurus gratiae tuae. Lex vitae meae, erant mea desideria. Etsi te in omnibus locis sciebam praesentem, non tamen secure & grauer peccare erubui. Quid aliud fuit uniuersa vita mea, quam assiduam bellum contra te? Inuitor a te, at, qua fronte ad mensam tuam accedam.

Agnosco igitur, Domine saluator meam indignitatem, at non me latet maxima tua gratia, & benignitas misericordiae tuae infinitae. Video in mensa appositam carnem pro mea vita mactatam, & infusum sanguinem pro meorum peccatorum remissione effusum, video flumen aquae vitae salientis in vitam aeternam, haec mihi suggerunt ad te veniendi fiduciam, qualis, qualis etiam sum. Quo indignior venio, eo magis glorificaris tu, si non odio me prosequens, me repellas. Domine Iesu, tu non soles a te repellere peccatores, sed vocas & conuertis ad te.

Tu es, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tu

2 Reg: 6. 6.

Ier: 6.

Ier: 6.

dixisti: Non opus est sanis medico, sed iis, qui male habent. Tu publicanos & peccatores recipiebas, & cum illis vescebaris. Domine Iesu, Naturam hanc non mutasti, quam tunc habebas eadem gratia, eadem benignitas adhuc est animi tam humani: Ergo adhuc de caelo vocas, quos tunc vocabas.

Tua igitur tam pia vocatione illectus, venio ad te, Iesu, vocantem peccatorum pondere gravatus, ut tu me exoneres: venio laborans & oneratus propriis miseriis, & tentationibus, ut tu me reficias. Venio tanquam infirmus ad medicum, ut tu me sanes: tanquam peccator ad iustum, ut tu me iustifices.

Tu recipis peccatores, cum illis manducas, imo cibus tuus est, cum illis conuersari & agere: quia igitur tantopere, delectaris talibus conuiuis: Ecce habes hic insignem peccatorem se ad te appropinquantem, cum quo potes accumbere & manducare.

Scio equidem, benigne Iesu, multo magis te oblectasse lacrymas publicae & poenitentis peccatricis, quam magnificum epulum tumidi pharisaei: non repulisti a te peccatricem, sed humaniter recepta peccata dimisisti, & contra assidentium calumnias defendisti.

Ecce igitur, Domine, hic coram te iacet peccator, qui multo quidem plura habet peccata, lacrymas vero multo pauciores. Illa nec prima nec ultima fuit misericordia tua, recipiat tua etiam

gratiosa

gratiosa
 nunc
 ga. To
 quam:
 cum suffi
 Ne indig
 vides. au
 indignat
 ad te ven
 Corrobo
 tuate sa
 guinis f
 Domi
 suetuo
 nobisc
 ad te
 lutem
 ii, &
 ga me
 da mi
 guinen
 fii in t
 te com
 cor me
 uber
 parast
 ar, tra
 Ame

gratiosa misericordia peccatorē eum, qui te gra-
uius offendit, & qui leuius propter offensas plan-
git. Tot non habeo lacrymas, ut pedes tuos lauare
queam: sed tu tantum sanguinis effudisti, quan-
tum sufficit ad abluionē peccatorū totius mundi.
Ne indigne feras, quod talis existens, qualem me
vides, audeam, venire in conspectum tuum. Non
indignatus es, cum sanguinis fluxum passa clam
ad te venit, apprehenditque simbriam vestis tue:
Corroborasti eam potius dicens: Confide filia, fides
tua te saluam fecit. Multo ego periculosiorē san-
guinis fluxum patior. Quo me vertam? nisi ad te
Domine: Non enim officium, non naturā & con-
suetudinem tuam mutasti, quam habebas, cum
nobiscum in terris versabaris. Venio itaq; nunc
ad te seruatoremeum, qui amas & queris sa-
lutem meam, memor misericordie, gratie, meri-
ti, & intercessionis tue, suscipe me peccatorē, pur-
ga me a peccatis, & fac me mensa tua participem,
da mihi carnem tuam sancte comedendā & san-
guinem tuum digne bibendum, ut pulsa fame, &
siti in te enutritus & fetus crescā, & aeterna vi-
tae compos fiam. Da mihi aquam viuificam, qua
cor meum aestuās recreetur, & ego inebriatus ab
ubertate domus tuae, in domo tua, ubi mihi prae-
parasti locum, sim, maneam, & tuo conspectu fru-
ar, tuamq; gloriam videam in secula seculorum,
Amen.



D E

AUGMENTA-
TIONE HOMINIS
spiritualis.

CAPVT LIIX.

Augmen-
tatio ho-
minis spi-
ritualis.

AUGMENTATIO hominis spiritualis sequitur, quæ est vitæ spiritualis in homine conseruatio, qua DEI cognitio & sapientia, sanctitas & iustitia in homine, vi Spiritus Dei, in Christo facta quotidiana accessione, ex spiritali nutrimento assumto, & assimilato, secundum omnium partium dimensiones omnes, ad maiorem, & iustam quandam quantitatem, in augmentum DEI, hic extendi, & deduci incipit.

Paulus ad Ephes. 1. *In Christo Iesu omnis*

edi-

edificatio
Et in
habitu
Huius
Domini
ternitas
vobis sec
robora
Christu
stris, in
compre
tudo,
scire et
Christ
Dei. c
tem fi
feliciter
sti, v
cum
homi
ris, ve
scam
ex qu
nexun
onis, i
cuius
facit a
1. No
ut imp

ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coedificamini in habitaculum Dei in spiritu sancto. Ephes. 2. Huius rei gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, ut det vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum eius in interiori homine: Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in caritate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profunditas, scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. cap. 3. Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem filii Dei, in virum perfectum, ad mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrine in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, veritatem autem facientes in caritate crescemus in illo per omnia, qui est caput. Christum, ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam administrationis, secundum operationem in mensuram cuiuscunque membri, augmentum corporis facit ad ædificationem, sed in caritate. Colof. 1. Non cessamus pro vobis orare & postulare, ut impleamini agnitione voluntatis eius, in o-

omni sapientia & intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati, secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & mansuetudine cum gaudio, &c. Postea: Corripimus omnem hominem & docemus in sapientia omni, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo *7* *1* *5* *v.* *2.* *Pet.* *3.* *Crescite in gratia & in cognitione Domini nostri saluatoris Iesu Christi.*

I. Ergo, ut homo spiritualis, qui incepit, & viam salutis est ingressus, proficiat, ac laudabiles in curriculo pietatis faciat progressus, tandemque pro mentura donorum suorum aliquatenus perficiat, Spiritusalem sapientiam, & pietatis sanctitatem, maxime appetit, & quia Dei donum est, ab eo summis votis & precibus postulat, ubi vero a DEO se tanto bono cumulatum sentit, gratias agit DEO maximas. Cum Dauide dicit Psalmo 119. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum. Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas iustifi-*
catio.

*cationes tuas. In toto corde meo exquisiui-
te, ne repellas me a mandatis tuis, doce me
iustificationes tuas. Psalmo 103. Benedic
anima mea Domino, & noli obliuisci o-
mnium, quæ tribuit tibi.*

II. Hinc adhibet industriam ad ac-
quisitam sapientiam & sanctitatem
conseruandam: Magna virtus est,
parata tueri. Ideoque primum fre-
quenter orat. Deus enim dat & au-
get spiritum bonum petentibus se.
Luc. II.

Secundo, ad exercitationem pie-
tatis & salutis decurrendam viam,
magnum affert animum. Virtus e-
nim per se laboriosa, natura vero
hominis continēter ad malum pro-
cliuis. Tu quidem imbellis es, at in
Christo poteris omnia.

Tertio, flagrat pietatis amore.
Vincit enim amor omnia, & fortis,
inquit Sapiens, vt mors est dilectio.
Ideo Proficiens non tam ad virtutū
laboriosa certamina cōuertit oculos

quam ad diuinum mandatum, auxili-
lium, præmium.

Quarto, versatur in perpetuo pie-
tatis vsu, obit virtutum officia stre-
nue, summopere vigilar, & omnem,
quæ offertur, occasionem auide ar-
ripit: in curriculo enim virtutis, qui
non pergit, regreditur. Caueat ita-
que homo perficiens, ne remissior a-
liquando ipsa longitudine laborio-
sæ viæ, reddatur.

III. *Præterea* in vsu virtutum curat
& annititur, vt quodammodo possit
ad Christi Domini & Magistri sui
virtutes imitandos accedere, assi-
due intuendo in perfectissimū illud
vitæ & mortis eius exemplar. Vt si
non in secundis & tertiis, saltem in
quartis subsistat.

IV. Denique eas vitæ spiritualis vir-
tutes potissimum exercet, ad quas
vel natura, vel gratia promptior est.
Eam enim promptitudinem vel na-
turæ inseruit Deus, eique tanquam
talentum quoddam concedidit ad

lu-

lucrifaciendum, vel singulari gratia
ei donauit, in hunc finem, vt iis ipsis
excellat.

EXHORTATIO, ET CON-
siliū de ratione proficiendi
in via gratiæ & salutis.

IN via non progredi, inquit Bernardus, est
regredi. Totus itaque mente & animo, o ho-
mo, insiste in gratia, cuius aliquem modulum es
consecutus, neq; conquiescas donec ei aliquod ac-
cessisse augmentum sentias. Negotiare & lucra-
re fideliter, donec redeat ad te Dominus. Noli
ea, quæ tuæ fidei Dominus commisit, in terram
defodere talenta. Exhortor te vt suscites donum,
quod in te est. Vt autem per gratiæ maiora in-
crementa possis ad maiorem tuæ salutis certitu-
dinem feliciter adspirare, dabo consiliū, tibi &
mihi regulas præscribā, audiamus eas, & sequa-
mur, & gratiæ virtutumque semina exsuscita-
bimus, & fovebimus, vt excrescant in iustam
magnitudinem, vt pietas in nobis floreat, & le-
tos nobis salutis promittat, fructus. Atten-
de igitur, o homo, viam salutis in-
gressæ, attende, & mecum
sequere.

C A N O N I.

Quocunq₃ in loco fueris, domi siue foris, solus vel cum aliis, die vel nocte, quicquid etiã quovis loco feceris, coram Dei ubiq₃ presentis conspectu te sistas, semperq₃ in animo tuo, certa persuasione statuas ac cogites, te in ipsius Dei viventis conspectu, & coram eius omnia videntis & corda scrutantis facie esse, versari & agere. Nullumq₃ tempus vel ullo loco remittas, quo non hac consideratio presentissima Dei maiestatis animũ tuũ filiali timore & reuerentia Dei pcellat, ut a peccatis timore presentis Dei deterrearis & abstraharis. Ita Iehoua apparuit Abrahamo Gen. 17. Et dixit: Ego sum Deus fortis & omnipotens: indefinenter ambula coram me & esto integer. Sic Enochus celebratur eo nomine, quod coram Domino Deo semper ambulavit. Vbicunq₃ ergo fueris in conspectu & corã facie Dei te esse memineris.

C A N O N 2.

Quemlibet vitæ tuæ diem, ducas & aestimes diem tuæ mortis, ideoq₃ ita fac viuas, ac si iam tibi vita tua cum morte esset commutanda. Regula profecto pia est Senecæ: Sic discite quasi semper victurus, sic viue quasi cras moriturus. Quotidie itaq₃ piam ducas vitam, & ea age corã Deo, quæ acturus esses, ubi iam mors tibi vitam esset ereptura. Christiana igitur vigilantia ~~est~~ tibi semper sit commendatissima. Vigila & ora, nescis

enim

enim qua
tura.
Non
got
is ra
offen
xisti.
cias,
fuert
tuus
tutu
luc.
cum
re
menda
etorum
corda
duere
ad mill
non posse
ue saltem
to, sape
rus premi
iusti, via
Man
oculos
ra en, eig

enim qua hora sit filius hominis ad te quoque ven-
turus.

C A N O N 3.

Non abs re fuerit conficere quosdam catalo-
gos tuorum peccatorum, precipue vero eorum in-
uis rationem habere, quibus maxime Dei gloriam
offendisti, & tristia vulnera tue conscientie infli-
xisti. Hos sepius ante oculos tuos constituas, respi-
cias, recognoscas, maxime vero tum, ubi animus
fuerit, tuam renouare resipiscentiam, ut animus
tuus tristissimo peccatorum horum aspectu & in-
tuitu compunctus eo magis coram Deo sese humi-
liet. Hac multum consuetudine gaudebat David,
cum inquit, se solere suas examinare & expende-
re vias, & pedes suos dirigere ad currendam viam
mandatorum Dei. Psal. 119. cumque memor deli-
ctorum inuentus, eorum veniam a Dei miseri-
cordia expetit. Psal. 25. Ita etiam Jobus cum sub-
duceret rationes suorum peccatorum, fatetur se
ad millesimam partem suarum transgressionum
non posse respondere Deo, Job. 5. Lance itaque iusti-
tie saltem peculiaria & potiora peccata pondera-
to, sepe sepius, & precipue, ubi coram Deo actu-
rus poenitentiam vitam tuam emendare propo-
suisti, vide, horre, & abstine.

C A N O N 4.

Mane exprofectus e somno, ubi tuos aperuisti
oculos, ingemisce ad Dominum servatorem tuum, ado-
ra eum, eiusque pro beneficiis in te collatis age ex animo

gratias.

gratias. Ita enim fiet, ut suam sibi gloriam Deus a te acceptet, & cor tuum insigni reficiatur tranquillitate per totum, quem ordiris, diem. Experientia enim nos docuit, vasa eum odorem diu servare, quo primum fuere imbuta.

Vesperis etiam, ubi decubueris & membra quieti dederis, idem eodem modo perage, teq; propitiae Dei tui cura ac tutela commenda, certo n. polliceri non potes crastinum diem, & ubi somno correptus in lecto fueris, nescis an veniens dies te visura sit resurgentem. Trades itaq; tuto te manui Domini tui, te custodituri ut oculi sui pupillam, dum adhuc vigilas, eiq; te committere aptus es.

CANON 5.

○ Peram tuam & industriam fige in agnoscenda & deprehendenda spiritali tua paupertate, ut videas quot & quanta tibi desint, & ut agnoscens divinae gratiae indigentiam, eius serio percellaris sensu, & incendaris eius augenda desiderio. In hac disquisitione offendas internam illam tuam corruptionem, incredulitatem, superbiam, philantiam &c. Id labora, o homo, ut examinatus a te, ipse tibi displiceas, nec unquam tibi satisfacias, sollicite in te probando id agas, ut indigentiam tuam sentiens, si sentias quoq; te indigere qualibet preciosi sanguinis Iesu Christi guttula, ut ea ab omni iniquitate & immunditie purgeris & saneris. Huius tui examinis exercitium ita urgeas,

¶

Et persequaris, ut interrogatus, quam omnium creaturarum te iudice Et arbitrio sit miserrima, teste conscientia. sincero animo Et clara voce possis respondere: Ego, propter mea peccata, inter omnes creaturas sum vere miserrimus. Rursus aut interrogatus, quam rem in uniuerso mundo iudices tua miseria posse presentissimam afferre medicinam, ut dictante conscientia animo exporrecto in Deum, Et voce intenta exclamare queas: Sanguis Iesu Christi filii Dei emundare me potest ab omni peccato meo.

Canon. VI.

Probate esse probum Et viuum membrum Iesu Christi, Et seruum Dei tui non modo in communi Christianorum vocatione, Et officio praestando, verum etiam in ea vocatione Et statione vitæ tuæ, in qua à Deo es collocatus, ut in ea Deo, tibi Et proximo seruias ac commodes. Ne putes satis esse magistratū esse Christianum hominē, sed insuper requiritur, ut sit Christianus magistratus. Nō sufficit patrem-familias esse Christianum domi suæ Et in Christiani cœtus publicæ cōgregatione, sed Et hoc ab eo postulatur, ut se piū exhibeat Christianum in familia suæ constitutione Et gubernatione, Et in ea functione, quā ex officio suo quotidie exsequi par est. Non statim is

D d

coram Deo estimatur verus Christianus, qui in templo statis diebus & horis audit verbum Dei, accedit cum aliis ut conuina ad mensam Domini Iesu, nisi etiam uniuersam vitam suam conuersationem, domus ac munerum suorum administrationem demonstrat verbo Dei & professioni fidei esse conformem. Hinc demum, quis verus & uiuus sit Christianus, elucescet.

Canon. VII.

Perscrutator sanctas literas, & ex iis veram peccati naturam ac proportionem cognoscito, ut indicare possis, quid in quavis actione sit peccatum, quid veronon; quid fuerit in vita tua transgressio legis, quid non. Atque hinc in animo tuo stet constans ac fixum propositum nulla in re amplius peccandi & Deum offendendi, statuasque fidem veram & peccandi in animo propositum simul non posse consistere.

Canon. VIII.

Studium tuum esto proposito tuo conformem; ac conferto studium quotidianum ad quauis et peccata declinanda, ad Deo praestandum pro viribus tuis obedientiam, secundum omnia eius mandata, siue communem Christianorum uocationem spectent, siue tuam ipsius stationem & functionem informant. Ita legimus, Iosiam omne suum posuisse studium in sui ad Deum ex toto animo secundum omnes leges Moysis conuersione. 1. Reg. 25. Ita etiam Zacharias & uxor

eius

eius Elizabetha inculpate in omnibus Dei
præceptis ac statutis ambulare dicuntur. Lu. 1.

Canon. IX.

Quod si forte quopiam tempore cōtra ani-
mi tui propositū & consil. ū lapsus fueris, teq;
peccato quopiam pollueris siue magno, siue exi-
guo; ne, quaso te, permanas nec desidas in i-
sto peccato, sed per resipiscentiā cōtinuo te ex-
suscita, ne indormias peccato, te erige, ne ia-
ceas quasi in peccati lutū proiectus. Surge &
humiliare, cor fiteri peccatū Domino, precib.
solicita peccati apud Deum remissionē, idq;
summa animi contētione, donec iterū remissi
peccati consolationem, & pacatam cor scien-
tiam in animo tuo sentias, & cura vitandi
peccata in te crescat.

Canon. X.

Sape sepius finē vita tua meditare, ad quē ea
in hoc mūdo est destinata. Hunc ne existimes
esse venari huius vita & mundi opes, & tua
cōmoda, aucupari honores, ac sese dedere vo-
luptatib. sed ut officio nostro, ad quod vocati
sumus, recte administrando hominū cōmodis
& gloria Dei inseruiamus. Deus quidē, si ita
ferret sancta eius volūtas, homines posset absq;
hominum ministerio sustentare & conserva-
re: At aliter Deo placuit, voluntas eius sanxit
& constituit, perficere opus cōservationis vite
humana, iū quo ad sustentationem corporum,

tū quoad animarū nostrarum salutē procu-
randam, usu & ministerio ipsorū hominum,
per cuiuslibet officii hominib. delegati fidelē
administrationem. Nemo adeo utilis est cōdi-
tionis, imo ne quidem contēpta mancipia ex-
cipio, qui non sui qualiscunq; etiā laboris fun-
ctione, quem impēdit Domino suo, inservire
simul Deo Dominorum Domino supremo te-
neatur. Profanare plerumq; homines solent
suos labores, & munera vocationis, dum col-
limātes ad degeneres scopos, verum finem de-
serunt, alium sibi praefigunt. Omnem n. curā
atq; operam suam ad necessaria huius cadu-
cae vitae sibi comparanda, ad rem faciendam,
ad honores prensandos, ad carnalis voluptates
explendas, certatim conferunt. Atq; hoc mo-
do non Deo, non proximis, multo minus Deo
in hominum ministerio seu Deo proximis
commendando seruiunt, sed tantum sibi.

Canon. XI.

Omnibus fac labores viribus, ut electionē
tui ad salutē quotidie tibi firmiorē & certiorē
reddas, colligas tibi eius rexpungia varia, pro-
spicias tibi de quapiā quasi supellectile vario-
rum testimoniorum electionē tuā tibi testan-
tium. In primis vero notare utile fuerit opera
Dei, propitiam eius providentiam, paternum
amorem, & gratiam tum erga nos, tum in
nobis, de die in diem, sese exerentem. Etenim

horum

horum & quidē diuersorum distincta & accurata cōsideratio magnā affert & directiōnem, & ut ita loquar ass. curatiōē de Dei erga nos paterna affectione & gratia: Pōdus affert cōsolationis, ubi omnia pie obseruaueris, exemplo Davidis. 1. Samuel. 17. Psal. 23.

Canon. XII.

Presentem vitæ tuæ statum semper duxeris esse optimum. Quicquid n. tibi contingit, siue morbi te inuadant siue mors miniteatur, siue calamitates in te irruant, noueris omne illud tibi ex Dei omnia gubernantis prouidētia accidere. Quare in eo sist totus, ut toto animo statuas & sentias esse prouidā Dei omnia videntis & administrantis curam, eamq; dirigere tam paupertatē, quam diuitias, tā contemptum hominū, quam gloriā, tam aduersa, quam prospera, tam mortem, quam vitam.

Canon. XIII.

Indefinenter ora non tantum statis & ordinatis precibus ac temporibus, sed interioribus & secretis ex corde ad Deum adspirantibus suspiriis, ac interna continuag; cordis seu animi eleuatione ad Christum Iesum sedentem ad dextram Patris sui, & pro te apparentem ac interpellantem: & quidem iam precare, iam deprecare, iam gratias age, prout tibi occasio oblata fuerit.

Canon. XIV.

Non raro etiã cogites grauissimas calamitates, acerbissimas misérias, tristissimas ærũnas, in quas tam in vita quã in morte propter veritatis & Christi professionẽ possis incidere: Renoca ad calculos tuos quicquid est miseriarum, quæ in te possunt cadere, prepara & obfirma animum, ut cum Deus, te tentãdi gratia, illarum nymbum in te excusserit & effuderit, ne tibi animum prorsus eripiant, sed eo facilius animo æquo perferre eas possis.

Canon. XV.

Agitare animo otiosas, inutiles, impuras & impias cogitationes, sit tibi religioni, quippe quæ sunt semina & principia peccatorum, postea actualium, quæ tum per verba, tum per externas actiones postea prorruunt. Negligentia nostra, in cohibendis malis cogitationibus, quam sæpe laboramus, admodum est supina, & multum affectata: hinc adeo est, ut horrendis nonnũquam tentationibus puniamur inter quas nõ est postrema, quam Theologi vocant tentationem Blasphemiarum.

Canon. XVI.

Quod si animadvertis in animo tuo oboriri motiones & affectiones quasdam bonas, pias & sanctas, ne concedas eas dilabi & effluere sed potius ad id tuam refer curam, ut

eas

eadem, quas obortas habes, retineas, foveas, firmes, figas lectione, meditatione, & pia invocatione numinis & nominis Dei.

Canon. XVII.

Bonum aliquod opus aggressurus & facturus verbis vel actione, caue illud moliaris, ut eo, quasi ex viribus tuis vel profecturo vel profecto superbe glorieris, sed hoc age, ut Deo submissa cum humilitate tribuas & potetiam efficiendi, & gloriam perficiendi. Quod nisi feceris, experientia ipsa te docebit, Deum optimis tuis operibus male dicturam.

Canon. XVIII.

Civilem honestatem nequaquam asperneris: Oportet enim morum honestatem esse cum bona conscientia coniunctam. Religio tibi sic leviter mentiri, vel in communi conversatione temere iurare. Ne cum quoquam contendas immodeste verbis aut factis. Humanus & humilis esto erga quosvis siue bonos siue malos, quantum officii & conscientie ratio permittit. Patienter feras uniuscuiusque infirmitates, & defectus. Bonum malo ne recompenses, sed potius malum bono. Cibo, potu, & vestimentis ita utere, ut te ad pietatem, non impietatem illiciant, suntque tibi testimonia externa interne in te latentem gratiam alius demonstrantia. Ne alias statione, honore, & aliis externis praeire contendas; si vis para sanguis aliquot

antecedere alios, antecedas eos virtutibus. Honorē potius deferas quā auferas proximo. Curā adhibeas in lingua refrenāda, ori tuo pes sulum obdas, sigillū opponas ut videas, & praevidas quod loquatur. Ne sis unquā alius externa phasaei, & simulatione, quam interna animi affectione: Caue externi mores faciāt diuortium ab interno animi motu. Sis externe, quod es interne. Vbicunq; fueris aut bonum facias & des, aut bonum accipias. Omnibus prodesse, nemini nocere, vnicestudeto. Omnia ad proximi tui edificationem, omnia ad gloriam Dei conferto. Quod ut omnes prestare possimus; axit suo spiritu in nobis Iesus Christus. Amen.

Augustinus.

Prior labor est, ut displiceas tibi, o homo & peccata expurges, & muteris in melius. Secundus labor, pro eo, quod mutatus es, ferre tribulationes & tentationes huius seculi, & inter illas pie perseuerare usq; ad finem. Idem: Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione; quia profectus noster per tentationem fit; nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus; nec potest coronari, nisi vicerit; nec potest vincere, nisi certauerit; nec potest tentare, nisi inimicum & tentationes habuerit.

Lactan-

Lactantius.

*Multum refrenat homines conscientia,
si credamus nos in conspectu Dei vivere. Si
non tantum, quæ gerimus, videri de super; sed
etiam, quæ cogitamus aut loquimur, audiri à
Deo putemus.*

Idem.

*Ita viuendum est, vt Deum propitium ha-
beamus, & nunquam vereamur iratum.*

Sis animo linguaq; humilis; prodesse benigne

Omnibus, & nulli sit nocuisse labor.

Sedulus in propriis, aliis aliena relinque;

Prudenterq; fides cui sit habenda, vide.

Quæ scis recta, fac intrepidus; cõtemne susurros;

Gnarus amare bonos & tolerare malos.

In primis æterna habeas potiora caducis,

Præq; hominum tibi sit graria grata Dei.

ORATIO AD DEVM PRO
conseruatione & fidei virtutum-
que incremento.

*Gratia mea & salutis mea opus exorsus es,
Go Deus salutis mea, pater clementissime,
cœptum opus in me prosequere & perfice, ne
desere. Toto animo in via gratia & salutis
progredi desidero. At impedimenta profici-
enti obiiciuntur quotidie plurima: diabolus
ignitis suis me vulnerat telis: Mūdus in quo
concupiscentia carnis, concupiscentia oculo-
rū, & vite dominatur superbia, me à semita*

Et via vita abducere studet; In carne mea
 non habitat bonum; Unde caro concupiscit
 aduersus spiritum, in me militant concupiscen-
 tia, carnalia desideria aduersus animam meam.
 Singulis diebus, queso Domine Spiritum san-
 ctum innoua in visceribus meis, Et nouis me
 roborauis ut non indulgeam cupiditati-
 bus meis, sed mortificem spiritu opera carnis,
 abnegem mundana desideria, circumci-
 dam preputium cordis mei, uetus fermentum
 omne expurgem, Et exhibeam corpus
 meum hostiam tibi uiuentem Et placentem.
 Fac custodiam uias meas, progrediar in se-
 mita mandatorum tuorum Et non delinquam.
 Da mihi, o Deus spiritum continentie ac so-
 brietatis, ut semper uigilem ac orem, ne in-
 trem in tentationem, sed potius de uirtute in
 in uirtutem progrediar.

Contendo intrare per angustam portam in
 regnum tuum caeleste, nihil aliud opto, quam
 digne ambulare uocatione mea, qua sum uo-
 catus, ut ministrem in fide mea uirtutem, ut
 ita satagam per bona opera certam uocatio-
 nem Et electionem meam reddere. At tu
 Deus benigne nisi tuo me auxilio inueris, per
 patientiam ad propositum mihi scopum de-
 currere non possum: Firma, pater, gressus pe-
 dum meorum, ut non claudicem, aut cadem,
 aut exorbitem.

Eri-

*Erige labescentē Deus, porrige lapso dexte-
rā, fulci me, ut stōm succinctus lumbis mentis
meae, malis non cedam, resistam diabolo in fi-
de, Et ita fidei virtutumq; Christianarū bonū
decertē certamen. Datū pater incrementum
operi, ut incoata renouatio subinde magis
crescat. Ah vide, pater, gesto nobilem thesau-
rū in vase fictili, sublimitas tua virtutis me
custodiat, ut mortificationem Iesu Christi in
corpore meo circumferam, vitaeque Ie-
su manifestetur in corpore meo, ut licet
is, qui foris est, homo meus corrumpatur:
tamen is, qui intus est, per te renouetur
de die in diem. Subministra militandi
vires continuas ne defatiger, sed bonam stre-
nue militem militiā retinens fidem & bonam
conscientiam. Da ut ita currā ut apprehen-
dam in corruptibile vite coronam. Firma in-
firmum fortitudine tua, Deus, primitias spi-
ritus tui habet, gemo tamen in hoc mundo
malorum omnium pelago & expectans ado-
ptionem filiorum Dei, & redemptionem
corporis mei. Quis miserum me liberabit de
corpore mortis huius. Tu liberator meus es
Deus, ab utero matris meae in te proiectus
sum, ne derelinquas me; Tu nosti, qui sint
tui. Tu oves tuas cognoscis, & ego te pastorem
meū: pedes sanctorum, in lubrica mundi via
conserua, hereditatem tuam ne derelinque,*

Voluntas hac tua est, ut quicquid dedisti filio tuo, ipse non perdat, sed det omnibus suis omnibus vitam aeternam. Dedisti me filio tuo, sum ouiculus filii tui, licet saepe aberrē, da quod omnibus debes ex promisso, nec peream, nec rapiat me quisquam e manu tua. Maior quippe tu es omnibus. Tu Deus meus es, qui non relinquis sanctos tuos, in aeternum conseruabuntur, non perpetuo dabis mihi fluctuationem. Custodi rectorum salutem, & protege gradientes in simplicitate. Angelis tuis de me etiam manda, ut custodiant me in omnibus viis meis, portent me in manibus, ne forte offendam ad lapidem pedem meum.

Sic ubi infirmum me offenderis, o Deus, ne me biice, sed corrobora in fide virtute tua, seruum tuum, ut virtus tua infirmitate mea perficiatur: Calamum quassatum, scio, non conteres, & linum famigans non extinguēs: Assume itaque infirmum, qui non vis perire vllum, sed omnes reuerti ad poenitentiam. Tu potes confirmare, fidelis quoque es, ut confirmes me; Esurio & sitio iustitiam, fac saturer aliquando, fac in Christo Iesu crescā in salutem, ad quam me o pater caelestis, ab aeterno elegisti, in Christo dilecto tuo filio, quamque promisisti & apparasti mihi credendi in eodē filio: quam salutem Iesus Christus filius tuus, seruator meus suo sanguine

michi

mibi acquisitum, acquisitumque mibi in Eu-
 angelio offert, oblata tam credenti largitur, ob-
 signat & confirmat: quam salutem spiritus
 sanctus accensa in me fide hic inchoat, opera-
 turque per verbum & sacramenta, me rege-
 nerando & sanctificando; Atque tu Opa-
 ter, fili, sancte Spiritus, Deus sancte, in me
 perfectissime postea es consummaturus: Tibi
 sit sua gloria & honor in omnium seculorum
 perpetuitatem. Amen.

Conclusio ex Bernhardo.

O Deus vita mea, rege me sancto tuo spi-
 ritu, ut in vita mea iustitia obseruans, dem
 unicuique quod suum est; Et in primis;
 Triahac reddam Deo meo.

Honorem tibi creatori meo
 Amorem tibi Redemptori meo,
 Timorem tibi Iudici futuro.

Hæc vero tria proximo.
 Obedientiam superiori me,
 Concordiam pari mihi,
 Beneficentiam inferiori me.

Totidem item mihi ipsi.
 Munditiam cordi meo,
 Custodiam ori meo,
 Disciplinam corpori meo.

Duc me, nec sine me, per me, Deus optime,
 duci:

Nam, duce me, pereer; Te duce, saluus ero.

OMnis Deo sIt gLor la Jo Ll.

LAMENTATIONES

AFFLICTÆ ECCLESIAE

INTER HOSTES.

Seu,

*Habitantis in Kedar & Mesech, (Psalmo
120) inter homines inflammarios, quo-
rum dentes lamea & sagitta, & quo-
rum lingua gladius acutus (Psal. 57.)*

I.

O Me infelicem, laceram, rerum omnium e-
genam!

Quam iaceo scissam sanguinolenta eutem!
Quam misera, & nulli toto miserabilis orbe
Vulneror, excrucior, distrahor, exanimor!
Nec quisquam est, qui vel minimum mea vulne-
ra curet.

Quæ fletu & lacrymis imbuo cruda meis.
Quin quos præ cunctis eadem sanare decebat,
Contra ea, cum furis, non solidanda, ruunt.
Effrenesq; animis, velut vnguis in ulcere fixus,
Me quasi fibratim dilaniare student.
Ni lacrymæ tibi pro gemmis, pro murice sanguis
Sit meus, & planctus carminis instar eat;
Nil me squalidius, nil me deformius vsquam est,
Qua nihil in prisco pulcrius orbe fuit.
Eheu me miseram, cur me nunc, optime Sponse,
Deseris in tantis, o mea vita, malis.

Num

Num talem me ferre potes? cur accipis æquis
 Auribus hos gemitus, vulnera tanta oculis?
 Otandem cōpelce meos, quos conspicias, hostes,
 Non minus en hostes quos patet esse tuos.
 Peccati tibi, non illis; ignosce fatenti,
 Elue tu sordes, sponse benigne, meas.
 Desperata aliis, aliis gratissima, solus
 Vulnera tu tandem consolidare potes.
 Fallor? an & facies, veterum haud oblitus amo-
 rum,
 Qui toties faciles in mea vota manus
 Porrexti pridem, & simili me clade grauatam
 Iuisti in plausus officiose meos.
 Verbum equidem hoc verum est: Hominum cum
 deficit omne,
 Tum domini præsens incipit auxilium.

II.

LAMENTATIO EC-
 clesiæ Propheticæ.

O lesu sponse, vita lux & salus mea, quam *Psal. 3.*
 multi sunt hostes mei! quam multi in-
 surgunt contra me! Quam multi dicunt de *Psal. 4.*
 anima mea: Non est illi salus in Deo plane.
 Inuocantem itaque me exaudi, Deus iusti-
 tiæ meæ, gratus esto mihi, & audi oratio- *Hos. 2.*
 nem meam. Desponsasti me tibi in secu-
 lum, desponsasti me tibi in iustitia iudicio-
 que, in benignitate & misericordia, & in *Ies. 11.*
 fide me tibi desponsasti. Et tamen instar in-
 fantis in specu aspidum sedentis, & lu-
 dentis cum basiliscis me in mundo hos

- Ies. 59. exagitari permittis. Vides domine, vides Harmostas plurimos, qui viam pacis ignorant, nullum est ius in orbitis illorum, semitas suas deprauant istis, cuiq₃ incedenti per aliquam earū, hic expers est pacis. Visionem animi sui loquuntur: Non ex ore Iehoua dicunt continenter iis, qui spernunt Deum; LOCVTVS est Iehoua, pax erit vobis: Et cuique ambulanti ex sentētia animi sui dicunt: non superueniet vobis malum. Ab Iesu, vides & audis, seducunt populum falsitatibus suis, & rapiditate sua, cum Deus non miserit eos, neq₃ preceperit eis, & omnino non prosint populo huic. Optimus illorum similis est spine, rectissimus præ spineto est. Rodor ab auidissimis canibus, qui non norunt saturitatem, qui pascunt se ipsi, qui nesciunt docere me; quotquot sunt, ad viam suam se conuertunt, quisq₃ ad lucrum suum fertur, me neglecta. A minimo eorum, vsq₃ ad maximum quisq₃ est deditus questui, huic seruiunt, ego spreta iaceo. Concupiscunt agros & rapiunt; domosq₃ cōcupiscunt & adimunt: opprimentes virū cum domo eius, quemq₃ cum possessione sua; Mordentes dentibus suis proclamant pacem, & in eum, qui nihil indidit ori ipsorum, euomunt bellum. Mendacium posuere brachiū suum. Oua aspidis excludunt, & telas aranei texunt: qui comedit ex ouis

eorum

comitatio
on illorū
di ipsi a
sua dēte
rui sunt
trio in a
ra vuln
do nu sua
cuiant fil
ra ionem
ra rege
riū illor
la sunt
bulant
nente
raptor
trum
tum &
quide
facern
o di un
pa ieren
Et ric.
te in p
siviles
animas
Viri se
diente
in bria

eorum morietur. Custodi me sponse sancte, ne
 ora illorū supponatur aut opponatur mihi. Pe-
 dib. ipsi ad malū concurrunt, & festinant ad
 fundendū sanguinem meū: cogitationes eo-
 rum sunt cogitationes iniqua; vastitas & cō-
 tritio in aggeribus illorum est. Non recte cu-
 rant vulnera mea, qui Zelo magno nescio, an
 domus sua, an vero domus tua magis ardent,
 curant filia tua contritionem, secundum cu-
 rationem leuiculi mali. Malicia sua exbila-
 rant regem, & mendaciis suis principes. Ple-
 riq; illorum, quibus ego commissa sum misel-
 la, sunt contumacium contumacissimi, am-
 bulantes cum detractione & calumniā vo-
 mentes, sunt chalibai & ferrei omnes cor-
 ruptores. Sequuntur spiritum suum, (non
 tuum) & quæ non viderunt, vident vanita-
 tem & diuinant mendaciū. Multis modis (&
 quidē cum applausu mirabilis populi,) Vbiq;
 fecerunt ut erraret populus, dicētes pacē esse,
 ubi nulla est pax: cumq; alius extruit luteū
 parietem, ecce illi obducunt ipsam in sulso te-
 ctorio. Vah quam crudeles sunt isti seuien-
 tes in propria viscera, si quis contradixerit,
 similes sunt leonis rugienti, pradanti prædam,
 animas comedūt, robur & res pretiosas capiūt.
 Viri sunt ventosi & falsi, multū mentiuntur
 dicentes: Stillabo tibi pro vino aut pro potu
 inebriante. Clamo itaq; ad te Iesum caput &

Ibidem.

Ierem. 6.

Hos. 8.

Ier. 6.

Ezech. 9.
& 13.

Ezech. 23.

Mich. 2.

Psal. 120.

sponsam meam, in angustia mea, exaudi me,
 & libera me ab istis stultatoribus populi hu-
 ius eripe me à labio falso & à lingua dolosa.
 Quid datura est tibi, quidue adiectura est
 tibi lingua mordax & mendax: verba fun-
 dit similia sagittis acutis, comparanda pru-
 nis iuniperorum. Hei mihi, quia peregrinor
 ego, & habito tanquam scenita Kedareni.
 Plurimum habitasse sibi videtur anima mea
 apud osorem pacis. Ego pacem diligo, at cum
 loquor, ipsi ad bellum conclamant. Libera me
 tandem o domine, à malis cunctis.

III.

LAMENTATIO ECCLE-
 siae Christianae & Apostolicae.

Actor. 20.

1 Cor. 6.

Matth. 7.

O Domine Iesu, qui mihi factus es à Deo
 sapientia, iustitia, sanctificatio & re-
 demptio, qui me Ecclesiam tuam regis,
 quam sanguine tuo acquisivisti. Empta sum
 pretio magno, ut glorificem & porce Deum
 in corpore meo. Protege me, tua sum, Veni,
 habita in me, & mansionem apud me facias,
 in me ambules, spiritu tuo corrobora me ut
 perseverem in doctrina tua & Apostolorum
 tuorum in communicatione fractionis pa-
 nis tui, & orationibus. Ne me tuam derelin-
 quas. Venerunt & veniunt ad me Pseudopro-
 phetae cum vestimentis ovium, qui intrinse-

cus

cus sunt lupi rapaces. Detege fraudem, ut videam ex fructibus arborem, ex pelle lupum. Ab Domine homines multi iam transgrediuntur mandatum Dei mei, per suas traditiones & commenta, quæ etiam conantur vendere & obtrudere nomine veritatis & cultus diuini. Frustra vero Deum colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum: Irrita faciunt mandata tua per traditiones figmentorum suorum. Nefas hoc tolle. Multi iam claudunt regnum cælorum coram hominibus, ipsi nolunt introire, nec alios introire volentes permittunt introire. Quam misera rerum iam facies! Quoties decipior, cum sint qui extra quidem apparent iusti, intus autem pleni sunt hypocrisi & iniquitate. Sunt qui veniunt in nomine tuo Iesu, & dicunt: Ego sum Christus, multosque seducunt: Hic est Christus, multi visunt & credunt. Da mihi spiritum discretionis, ut probe hos spiritus an ex Deo sint. Edunt enim quidam ex illis signa magna, ita ut seducant, si fieri possit, etiam electos tuos. Custodi me ut pupillam oculi tui, ne seducar. Ex his vero plurimi diligunt potius gloriam hominum suamque, quam Dei tuam. Diligunt primum confessam in Conuentibus, & salutationes in foris (in templis etiam diuitium mulierularum.) Utinam cæci essent, & peccatum

Matth. 15.

Matth. 3.

Matth. 23.

Ibidem.

Matth. 24

Ibidem.

Ioan. 15.

Luc. II.

- Ioannis 9. non haberent. Quoniam autem dicunt; videmus: itaque peccatum eorum manet.
- Respice, domine, miseram sortem meam, persecutores manifesti ex crudelitate & impudentia conflati me impugnant, da ne expugnēt, at grauius me sauciant & ledunt hostes occulti mei, qui in ipso corpore meo calumniis, doctis dolis, & facietis fabricis rem agunt suam meq; misere laminant & lacerāt. Tibi enim domino meo Iesu Christo non seruiunt, sed suo ventri, & per blandiloquentiam & assentationem corda hominum minime malorum seducunt.
- Phil. 2. Querunt quae sua ipsorum sunt, non quae tua sunt (Christe, crucis tuae sunt (at non lignae) hostes, Deus eorū venter sit gloria cum cōfusione eorum. Ab qui docent populum temere turgent carnis suae sensu; attendū fabulis, & iis rebus, quae quaestiones potius mouent, quam adificationem Dei, quae est per fidem. O quoties hodie defleunt homines isti ad vaniloquentiam, aberrantes à charitate, quae est ex puro corde, ex conscientia bona ex fide non simulata. Multi volunt esse legum & Euangelii Doctores, nec intelligunt ipsi, quae loquuntur, neq; de quib. reb. doceant. Iam tempus illud aduenit, quo multi spiritus deceptoribus attendentes & doctrinis

demo-

demoniorum per hypocrisin falsiloquorum
 seducuntur. Horum seductorum conscientia
 cauterio resecta est: diuersam docent doctri-
 nã, neq; accedunt amplius sanis sermonibus
 tuis, domine Iesu, & ei, qua secundũ pietatem
 est doctrine. Turgent & tument inflati, nihil
 scientes, sed insanientes circa quæstiones (&
 nescio quas rixas controuertentiũ) ac verbo-
 rum pugnas (imo eum laruis & umbris, & ei
 dolis à se confictis luctantur sæpius & heroica
 fortitudine decertant) ex quibus nascitur
 inuidia, lis, maledicentia, suspiciones mala,
 & peruersa exercitationes hominum mente
 corruptorum, & qui priuati sunt veritate,
 & quæstui habent pietatem. Utinam homi-
 nes auersarentur profanos hominũ inanium
 de rebus inanibus sermones & oppositiones
 falso nominate scientie, quam non nulli præ
 se ferentes circa fidem à scopo aberrant. Uti-
 nam etiam ipsi Doctores nostri profanis de
 rebus inanibus clamores cohiberent, ut qui
 ad maiorem procedunt impietatem: Utinam
 reiicerent stultas & ineruditas quæstiones,
 quæ gignunt pugnas. Et non modo formam
 haberent pietatis, sed vim etiam eius non ab-
 negarent. Filii huius seculi sunt prudentiores
 filiis lucis, norunt artem seductores seducen-
 di solertissimam, seducendi laborem nullum
 intermittunt, irrepunt in familias, & capti-

1. Tim. 6.

NB,

1. Tim. 6.

2. Tim. 2.

2. Tim. 3.

2. Tim. 3.

Tit. 1.

2. Pet. 2.

Ibidem.

Apoc. 9

uas ducunt mulierculas, onustas peccatis, aetas cupiditatibus variis. Domine Iesu, miserere mei, & ex me tolle & extermina refractarios & vaniloquos mentium deceptores, ne totas domos subvertant docendo quae non oportet, turpis lucri gratia. Sunt Pseudoprophetae in populo tuo, sunt falsi doctores, qui subintroducunt haereses exitiales, etiam dominum te, qui illos mercatus es, abnegantes. Via veritatis tuae per illos blasphematur; per avaritiam fictis sermonibus negotiantur Christianos, multa mihi damna inferentes. Frange illorum conatus: Sunt enim audaces, sibi placentes, qui non horrent dignitates ipsas conuitiis incesere.

Vituperant, quae ignorant, ideoque suis ipsorum corruptela interibunt. Execrandi me diuexant homines, qui relicta recta via aberrarunt secuti viam Balaami filii Bosor, (conduci se ad conuitia & calumnias pecunia patiuntur) qui mercedem iniquitatis amant. Tolle e medio, Domine Iesu, pratimidam illam vanitatem iniquitatis mercedem amantem.

Nocet enim ouili tuo plurimum. Ego enim vidi equos (sane indomitos, etiam recalcitrantes in matrem suam ubi lacte eius sunt saturati) per visionem, & ipsorum

ses-

sessorum habentes thoraces igneos & hyacinthinos & sulphureos. Erant autem capita ipsorum equorum, ut capita leonum, & ex eorum ore prodibat ignis & fumus & sulphur: Potestas eorum in ORE (orales ore ferociunt) Vis est & in Caudis (quibus venenū eiiciunt & feriunt) eorum. Nam Cauda eorum similes sunt serpentibus, habentes Capita per qua nocent. Domine Saluator Iesu sponse dilecte, equos hos ferocientes & arrogantia se efferentes in fugam auerte, sessorum illos sulphureos & igneos deturba, Ora ignem & sulphur, eiaculantia obtura, & contunde, Caudas serpentinās discinde ac disice, capita nocentia frange ac reprime, nec dilectæ tuæ sponse damno sint; Aut, quia potes, voluntatem hostium illorum immuta, aut vires eorum infringe, ut non omnia, que moliantur, possint efficere. Aut si hoc propter peccata mea impetrare non valeo, da saltem, ut consilium & robur mihi suppetat, ad ea omnia perferenda, que ad gloriam tuam salutem & meam conducunt.

Amen.

IV

LAMENTATIO ECCLESIAE
primitivæ verbis concepta Ignatii,
Iustini, & Irenæi.

O Domine Iehoua, pater optime maxime, qui tuam admirabilem potentiam, bonitatem, gloriam in Ecclesia, filia tua conseruatione & liberatione, per Iesum Christum filium tuum dilectissimum, sponsum meum declaras. Ego filia tua desponsata filio tuo, cuius sum sanguine redempta, in quam seculorum fines & feces concurrerunt, coram sublimi tua maiestate me sisto sed freta solo meo sponso, quam tu ἰλασῆριον & placamentum per fidem mihi proposuisti, ut, præeunte spiritu tuo sancto per eum aditum ad te haberem. Hunc tu natum tuum, splendorem gloriae tuae, hypostaseos tuae characterem, sponsum & caput meum intueri, & propter eius sanguinem, propter meritum & intercessionem, querelas meas audi benignus. Faciunt in me filiam tuam impetum vaniloqui & seductores, non Christiani sed Christempori, qui ex nomine Christi sponsi mei quæstum faciunt, fraude circumferentes illius nomē, male adulterantes verbum Euangelii: hi erroris venena allinunt dulcibus alloquiis, velut mulso aconitum miscent, ut suauissimo sapore deceptus gustandi sensus incaute mortē hauriat.

Ignatius
ad Trall.
Epist. 3.

Ab

Ab hac venenata dulcedine libera me, si ita tibi visum fuerit, homo sum, ne quid humanipatiar, facile hallucinari, facile decipi possum, da ut agnoscam Christi nomine & pretextu mercatum exercentes, verbum tuum adulterantes, Iesum meum vendentes, corruptores illos & pecuniarum violentissimos sectatores. Lupi agrum dominicum innasere, dico homines lupi velleribus teetos in tuo stadio curretes, qui voluptatibus illectos ducunt captiuos. Scio omnes qui gradiuntur iuxta aliena prescripta, non esse Christi, sed vulpes & corruptores vineæ Christi. Compece domine erraticum illum & falsum spiritum, qui seipsum (aut hominis nomen) predicat, qui sua (non tua in Ecclesia) loquitur. Sibi namq; placet, seipsum glorificat; Plenus enim fastus est, mendax, fraudulentus, assentatione & adulatione gaudens, subdolus nugax, inconstans, verbosus & lubricus. Doleo & lugeo, pater, quoties illi mihi afflictæ insultant, qui nomen meum mentientes, iuxta carnem proficiunt, qui iracundia sua patrocinantes ex Evangelio, & sententiæ, in quâ proniores sunt, accommodantes seruatoris mei oracula, in quorum potestate si esset fitû Gehennæ me meosq; addicere, totus mundus exhaustus esset eorum sequitia: attamen quantum in ipsis est, & ignis forna-

Ad Magnesia Epistola 6.

Ad Philadel. Epist.

10.

Ad Ephes. Epist. 13.

Iustin. in Epist. ad Zenam & Serenum.

Idem ibid.

*In Apol.
pro Christ.*

*Irena, in
prafat. li.
1. aduersus
haeres.*

Ibidem.

*Cap. I. li. I.
aduer. Ha
res.*

ces aperiunt. Vide Pater, & quia potes, si velis, corrige mentem eorum, qui sic addicti sunt suis opinionibus. ut quantum in ipsis est ex die noctem faciant; Et quia in absurda imaginatione occalluerunt, non credunt alios recte sapere, his tam iniqui, ut malint mendacibus obtreptionibus credere, quam veritati. Insuper dolendum, quod hodie quidam Philosophiam nomine habitumque profiteantur, qui nihil praestant dignum hac professione. Abolo, mi Pater, deceptricem sapientiam Sapientum huius mundi, iugula sophisticam, falsitatem veritatis nomine veteratorie vendentem. Nulla mihi maior pestis, quam a Sophistomania huius seculi. Hac verborum artificio simplices eo probabiliter adducit, ut aliquo modo inquirent: sed improbabiler ipsos perdit, dum aduersus te summum opificem impiam reddidit eorum mentem, ita ut ne verum quidem a falso discernere possint. Ah Pater non ostenditur per se impostura, ne nuda deprehendatur: Sed amidu verisimili callide ornata, ita ut imperitioribus videatur externa specie se veritate ipsa veriore exhibere, Diabolus se in Angelum lucis transformat, quis modo tutus erit?

Angor animi cum audio seriem scripturarum transiliri, ac dissolui mem-

bra.

bra veritatis, atque multos falli sapientia male compacta ex dictis domini, quæ errori aptant. Indignor fabulis hominum eloquia tua adaptari, non secus fit, ac si quis pulcram regis imaginem pretiosis lapidibus ab artifice sapiente constructam dissoluat, deleta hominis forma, quam ille statuerat, atque lapillos illos transferat, quibus efficiat formam canis aut vulpis, quam etiam male struat: postea definiat, ac dicat hanc esse pulcram regis imaginem, quam sapiens artifex construxerat, ostensis lapillis illis, qui à primo artifice pulcre compositi fuerant in regis imaginem, male vero translati à posteriore in formam canis, ac per phantasiam lapillorum astute fallat imperitos, qui regie formæ notionem non habent, persuadeatque hanc turpem canis formam esse pulcram illam imaginem regis. Hi quando ex scripturis (recte intellectis) arguuntur, recte conuertuntur in accusationem scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex autoritate. Et quia varie sint dicta, et quia non possit inueniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem. Breuiter, Sophiste verborum magis esse volunt, quam discipuli veritatis. Corruit, o Deus, antiquæ pietatis honos, et Ecclesie tue veritas odio est mundo, et

Ibidem.

Lib. 3. c. 2.

Cap. 40.

omni-

omnibus, qui scismata hodie faciunt. Sunt enim hi immanes, non habentes Dei dilectionem, suamque utilitatem potius considerantes, quam unitatem meam filie scilicet tue, propter modicas & quaslibet causas magnum & gloriosum corpus filii tui domini mei Iesu Christi conscindunt & diuidunt, & quantum est in ipsis interficiunt, pacem loquentes & bellum operantes, vere liquantes culicem, & camelum deglutientes. Tu interim spes mea, tu confugium populi tui despecti, exere (quando aliter corrigi nequeunt) virgam ferream, & occurre omnibus sophisticis veritati tue ac sponse filii tui insidiantibus. Fac erubescant & pudefiant, qui querunt animam meam & sanctæ veritatis oppressionem.

V

LAMENTATIO ECCLESIE
primitiue concepta verbis Clementis,
Tertulliani & Origenis.

Civitas ego tua, o pater, sancta, desideo solitaria & desolata, fleo noctu & lacryma mea descendunt in maxillas meas nullo me consolante ex amicis, quos putabam, meis. Omnes fere amici mei perfide agunt contra me, facti inimici. Se ipsos quippe erigentes, calumnias verbis inuenire contendunt, contentiosas comparantes quæstiones,

Clemens
li. 1. Strom.

distin-

distinctiuncularum (falsarum) venatores,
 pusillarum quarundam artium emulatores,
 litigatores, & iurgiorum consarcinatores:
 Canoris quibusdam se offerunt nugis, & gar-
 riunt cicadis ipsis loquaciores. Lupi me exe-
 dunt rapaces, tecti pellibus ovium mihi inhi-
 ant, plagiarii, & disertis animarum abigei,
 qui clam quidem furantur, sed fures esse con-
 vincuntur, qui & dolo & vi me conantur su-
 perare, quæ non delector supervacaneis, ut-
 pote, quod minus eis in dicendo valeam. Isti
 sunt, qui funiculos trahunt, & nihil texunt,
 inanem laborem plurimi facientes, quem astu-
 tiam & imposturam vocavit Apostolus. Ab
 pater, queror iterum atque iterum de iis, qui
 auferunt veritatis doctrinam, dum non pro
 dignitate Dei & Domini scripturas tractant
 & tradunt: qui non habent verorum & fal-
 sorum iudicium exercitatum, adeoque in
 plurimis falluntur, nec parent divinis scriptu-
 ris, primum quidem non omnibus, deinde
 non perfectis, neque, ut dicitur corpus & con-
 textura prophetie, uti audent: sed eligunt
 ea, quæ dicta sunt ambigue, traducunt & pro-
 prias opiniones, paucas voces sparsim carpen-
 tes, non id considerantes, quod ex iis si-
 gnificatur, sed ipsa nuda dictione uten-
 tes, &c. Mirum quantum hi corpori meo
 noceant. Dolendum est, quod homines

Eodem lib.

Lib. 6.
strom.

Lib. 7.

Lib. 7.

Tertull. de
praescr. c. 15.

Cap. 17.

Cap. 23.

Aduersus
Hermog.

Orige. Nū.
Homil. 9.

In Iob. li. I.

isti nolint conuerti ad veritatem, ut quos
pudeat deponere commodum sui, in se ipsos a-
moris, neq; sciunt qua ratione possint suas ratio-
nes stabilire, scripturis vim afferentes. Dolē-
dum est quod inani sapientiae opinione elati
perpetuo litigent, aperte ostendentes, se magis
curare, ut videantur, quam ut vere philoso-
phentur. *Vulneror & laceror misera ab iis
maxime, qui in corpore meo grassantes, scri-
pturas obtendunt, suaque audacia statim
mouent quosdam: In ipso vero congressu fir-
mos quidem fatigant, infirmos capiunt,
medios cum scrupulo demittunt. Fatigant me
illi, qui nitantur his, qua ex falso composue-
runt, & qua de ambiguitate ceperunt. Ex-
ulcerant me isti, qui credunt sine scripturis,
ut credant aduersus scripturas: qui loqua-
citate facundiam existimant, impuden-
tiam constantiam deputant, & maledi-
cere singulis officium bonae conscientiae
iudicant. Fac Deus, aliquando immunis es-
se possim ab illis qui in gremio meo scriptu-
ra ignem alienam imponunt, hoc est, sen-
sum & intelligentiam alienam à Deo & ve-
ritati contrariam introducunt, incensum
domino non suave, sed execrabile offeren-
tes. Nouissimis his temporibus, & hoc vl-
timo seculo Satan mille modis aduersum me
contemptum exosamque Ecclesiam dimi-
cat,*

cat,

cat, congregatur, & tentatur, insidiatur, seducit atque subuertit per multitudinem haeresium, per innumeros errores, per abundantes seductores, per Pseudochristos ac Pseudoprophetas, quibus hic mundus repletus est, quos nequissimus seminavit, quos atrocissimus ille produxit, quos malignissimus fecit, qui venerunt & veniunt in verbo domini, in vestitionum, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, nomen Christianorum habentes atque speciem pietatis, sed erroribus impietatibus, & seductionibus referti. Hi me flagellant Nec minus mihi ingentem exhibent molestiam, qui per indocilitatem & iniustitiam cum multa temeritate ad professionem docendi, priusquam discerent & agnoscerent veritatem, & propterea vanas fabulas imitantes tradunt corporales historias scripturarum & non sensum spiritualem, aut voluntatem eorum, & adhuc detrahunt eis, qui Christo consurrexerunt, & qua sursum sunt in scripturis requirunt, & non super terram, nec in terrenis scripturarum positam existimant veritatem. Emen-
da & doce Pater tuo spiritu omnes quos vis emendare & docere, reprobi vero me lacerare non desituri, fiant quasi palea coram facie venti, & Angelus tuus propellat eos, qui odio implacabili ardent contra

Theol. 25.
in Matt.

me, & seruos tuos, & qui contra quietos terre tue verba dolosa excogitant, vt tandem in pace tua conquiescamus. Amen.

VI

LAMENTATIO ECCLESIAE
verbis concepta Cypriani,
Lactantii, & Athanasii.

Cyprian.
Epist. I.
lib. I.

Epist. 3.

Epist. 8

Lib. 2. E-
pist. 10.

ITane, Deus pater benigne, densa ira tua
nube obtegis filiam Zionis, & deicis è
caelis in terram ornatam Ecclesiae sponse filii
tui: Viden? In medio luporum versor, ne
absordeant me, faciem Clementiae tuae osten-
de mihi: Viden? In perniciem fratrum lin-
gua sua mali perstrepunt, facundia venenata
iacula contorquent: Venenatam rabiem
suam quotidie furiosa voce testantur. Finis
quando erit furiarum in cathedris meis? Si-
cut presbyteri Susannam pudicam corrup-
pere conati sunt; sic & isti adulterinis suis
doctrinis Ecclesiae tuae pudicitiam corrumpere
& Evangelicam veritatem violare conan-
tur. Vides haec & taces? Aut enim furore
suo, aut libidini inservientes, & diuinae legis
ac sanctitatis immemores, iactitare interim
gestiunt, quae probare non possunt. Et cum
innocentiam destruere atque oppugnare

non

non valeant, satis habent famam mendacii, & falsorum ore maculas inspergere. Ad me subinde studio magis contradicendi, quam voto discendi veniunt, & clamosis vocibus personantes, malunt sua imprudenter ingerere, quam nostra patienter audire. Quanta est hæc, bone Deus stultitia hominum, qua erroribus pertinaciter inherentes, obdurant se contra manifestam veritatem, hi cum habeant iter rectum, deuios sequuntur anfractus, planum deserunt, ut per precipitium labantur, lucem relinquunt, ut in tenebris cæci ac debiles iaceant. Quanta est impudentia hæc, quod quorundam leuitas instructa dicendi facultate & copia, magnas mendaciorum excitet nebulas, quod sapientiam sibi adimant, eo, quod sine ullo iudicio inuenta maiorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur: quod maiorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi desipuerint, quia maiores nominantur. Ast hæc quanta impietas, quod nimia superstitione impatientes quidam, insectentur scripta veritatis maledictis, & vix lecto fortasse principio, affligant, proiuciant, exsecrentur, seq. in expiabili scelere contaminari atq. adstringi putent, si hæc aut legant patienter, aut audiant. Utinam non prius damnarent quam uniuersa cognouerint, sed timent, ne a me reuicti, manus dare aliquando, clamante ipsa veritate, cogantur. Verum nullus pudor a-

Contra
Demetri-
anam.

Lactant.
Instit. di-
uin.

lib. 1. c. 1.

cap. 15.

lib. 2. c. 7.

lib. 5. c. 1.

lib. 7. c. 7.

Athanas.
contra
idola.Contra
Arian.
Orat. 1.

2. Orat.

Contra.
Ar. Serm.
4.Idem con.
tra Ar.

pud eos superest, a quibus abest omnis humani-
 tas, & retorquent in homines iustos conuitia sibi
 congruentia. Dumq; contradicendi studio insa-
 niunt, dum sua falsa defendunt, dum aliorum
 vera subuertunt, non tantum elapsa illis veritas
 est, sed ipsi eam potissimum suo vitio perdidit.
 Ostultos homines, qui repudiata Dei cognitio-
 ne & pietate, res, quae non sunt, rebus, quae sunt,
 anteponunt. Illud prorsus est admirabile, omnes
 hostes meos in fingendo diuersa pugnantiisque af-
 ferre inter se, nec alibi nisi in falsitate sibi inui-
 cem consentire & copulari. Tunc cum insidiis
 student maximopere, se simulant de fide scribe-
 re, ut pios & religiosos in Christum, scribendo in-
 terficiant. Ex sacris eloquiis cauillationes suas
 conficiunt, & sacra eloquia vi ad falsam suam
 sententiam, falsis interpretationibus detor-
 quent. Cur pateris hac, o Deus, itane verbum
 tuum profanari sines semper? quando tandem
 finis erit peruersitatis huius? illi profecto confu-
 tati non quiescunt, neq; perplexi, inopesque quod
 respondeant, pudefunt, sed plane meretricio vul-
 tu depuduerunt aduersus omnes in impietatibus
 suis. Illi, quam nihil sit fiducia sua in secta certi,
 ad mendacia de piis hominibus fingenda confu-
 giunt. Illi in comminiscendis vitilitationibus
 nihil alienum a prauitate sua indolis faciunt, ne-
 que id mirum, cum tam vario sint & versipelli
 animo, quam Chamaleontes sunt in mutandis

colo-

coloribus. Sponse Iesu, libera sponsam tuam ab hac miseria, quanto cruciatu percellitur animus si videam tam multos, qui simulantes fidem, non subditi sunt fidei, sibiq; fidem ipsi potius constituunt, quam accipiunt, sensu humane inanitatis inflati, dum, quae volunt, sapiunt, & nolunt sapere, quae vera sunt, cum sapientia hac veritas sit, ea interdum sapere, quae nolis. Tu vero interim sanctifica me totam veritate tua, tuum verbum est veritas. Exsurge lux veritatis, & dissipentur omnes tenebrae & hostes veritatis.

Hilarius
lib. 7. de
Trix.

VII.

LAMENTATIO HIERONYMIANA, seu S. Hieronymi, verbis concepta.

Plaudunt, Pater misericordia, super me in afflictionibus meis, manus suas, omnes perfidi mei, sibilant & motant caput suum contra filiam tuam, quam elegisti & adoptasti. Haecine, inquiunt, est Ecclesia & filia Dei, quam dicebant perfectam pulcritudine, & gaudium toti terra. Dilatant contra me os suum omnes inimici mei, frendunt dentibus suis dicentes: absorbuimus eam, iam fruamur animi nostri letitia. Auerte hanc a me contumeliam, siquidem in te quoque patrem meum redundat, cur deseris me. Tua sum, non alius. Accedunt intestini deformatores, & pudoris

*Hieron. in
1. cap. Ies.* *In 10. c.
Iesa.* *In 13. cap.* *In 16. cap.* *In 18. cap.* *In 32. cap.* *In 18. cap.
Ierem.*

mei violatores, qui egerrime mihi faciunt, dum
 Euangelicam veritatem corrumpunt prava in-
 telligentia, & sunt caupones pessimi, facientes ex
 vino aquam. Sensu, quem a Deo in bonam par-
 tem acceperunt abutuntur in contrarium, &
 peruersum, ut loquantur contra eum, a quo con-
 diti sunt, & linguae ministerium, quo laudandus
 est Dominus, vertant in blasphemiam. Incredi-
 bile est, quanto me dolore afficiant, operarii men-
 daces, qui transfigurantur in Christi ministros,
 dum bono tuo semini lolium superseminant, dor-
 mientibus Ecclesiarum magistris. Non ob amo-
 rem tuum, sed ob mercedem suam cuncta faciunt,
 qui comedunt domos viduarum, & proprios ab-
 ducunt greges, ut lanis eorum vestiantur & lac
 mulgeant. Et tamen grati sunt populo, nullus an-
 gulus est, ad quem non turbidus eorum sermo
 perveniat. Omnes fere, qui habitant in orbe ter-
 rarum, ad eorum signum, quod quasi in monti-
 bus est elevatum, erigunt oculos suos, & clango-
 rem tubae, id est, doctrinae eorum audiunt. Consi-
 cior dolore, quoties audio hos Hierophantas men-
 dacium loqui contra te Dominum meum, per-
 uertere animas esurientes & sitientes. Vacuas eas
 abire faciunt, ut, etiamsi quid naturaliter boni
 habeant, magistrorum amittant vitio, quorum
 omne consilium est, ut perdant humiles iniquis
 sermonibus. O Domine, vides: deuorant popu-
 lum tuum velut escam panis. Cogitatio illorum

ho-

hominum est, ut calumnias struant, & sanctos viros accusatione praeueniant, nec cogitant, quod illi veritatem loquantur, & quod isti struant mendacia scripta plena mendaciorum, fraudulentia & periurii in orbem dirigunt, ut & aures polluant audientium, & existimationem simplicium ledant. Non enim eis sufficit iniquitatem propriam deuorare, & proximos ledere: sed quos semel oderunt, per uniuersum orbem infamare conantur, & ubiq; blasphemias proserminare. Pius & Orthodoxis agentibus patienter & exspectantibus miserorum salutem, praeueniunt haeretici, & eos suo appellant nomine, caeci ducentes caecos in foveam. Despiciunt me, & veritatem tuae filiae, confidunt sibi in monte Samariae, in superbia scilicet dogmatum peruersorum, quae putant esse sublimia. Quasi tempestas veniunt contra me ecclesiam tuam, & nube verborum simplices credentium animos opprimere & operire festinant, dispelle hanc tempestatem Deus, ne agro tuo calamitatem afferat, doctrina & mysteria horum vomitu & sordibus plena sunt, siquidem scripturarum sanctarum non digerunt cibos, nec uniuerso corpori faciunt esse vitales, sed immaturos & foetentes egerunt, ita ut nullum in eis Deus reperiatur locum. Magistrum habent praesumptionem suam, cum persuaserunt populo vera esse quae fingunt, & in theatralem modum plausus concitauerunt, & clamores, imme-

In 23. cap.
Ierem.

In 29. cap.

In 16. cap.
Ezech.

38. cap.

In 28. cap.
Ies.In 34. E.
zech.

mores sunt imperitiæ suæ, & adducto supercilio, libratisq; sermonibus atq; trutinatis, magistrorum sibi assumunt auctoritatem. Simulacra dogmatum suorum atq; mendacii, artificii corde componunt, & venerantur ea, quæ a se sciunt esse simulata. Nec sufficit error proprius, nisi simplices quosque eorum adoratione deceperint, abutuntur vulgi imperitiæ. Sophistica potius, quam Dialectica, quasi ascia & terebro, lima & runcina formant Deum suum, & cudunt malleo, atque inaurant sermonis theatri venustate, quorum Deus venter est, & gloria in confusione. Confunde eos Domine, ne seductus pereat populus domus tuæ.

Fac pater, ut in tantis ærumnis, quibus misera affligor, me sustentem, & spe futura liberationis tuæ nitar. Nihil nunc me manet, quam animi perturbatio. Nunc loquentibus & pronunciantibus plenus est orbis, loquuntur ipsi, qui nesciunt: docent, qui non didicerunt: Magistri sunt cum discipuli ante non fuerint. Hinc adeo est, quod non scripturarum auctoritatem, sed humana rationis sensum sequantur. Dum peruerse intelligunt, quod legunt, abominationem ponunt in domo tua. Itane perpetuo vis pollutam tuam domum? Miseri illi videntur habere altitudinem & scientiam scripturarum: sed omnis altitudo eorum veritati comparata phantasia est, & frustra extollit vocem suam. Fuga tandem Deus pe-

stern

In 5. cap.
Mich.

In 7. cap.
Os.
In 5. cap.
Amos.

In 3. cap.
Hab.

stem hanc, perdit animas, subuertit totas familias: posses, Deus, si velles me recreare, & fumos horum me fere necantes dispellere. Ah, pater, sine scripturarum auctoritate garrulitas ista non haberet fidem, nisi viderentur peruersam doctrinam etiam tuis diuinis testimoniis roborare. Sub nomine Christi Iesu mei, ea docent, que sunt contraria Christo. Nec mirum, si videam aliquos ab his seduci, cum Christus sponsus meus dixerit: & multos seducent. Causam mali noui hanc: Omnis, qui male intelligit scripturas, in via Dei corruit. Scrutantur scripturas, at non spiritualiter tractantes, vanas exinde proferunt questiones, quibus meos per iniquitatem & dolum cupiunt illaqueare. Vis populum tuum, o Deus, liberare? Magistros liga, & prapedi pedes eorum ne possint currere. Exsurge Iehoua, ne ferocientes isti magistri inualescant, sed potius intelligant se miseros homunciones esse. Et vasa fictilia, tuum autem filium in caelis sedere ad dextram tuam, regnare in caelis & terra, & pro me intercedere.

IIX.

LAMENTATIO AVGV-
stiniana, seu Augustini
verbis formata.

Miserere mei Deus, miserere, & vide af-

Ff 4

In episto-
lam ad
Tit.

In cap 24
Mat.

In Ps 5.
in Ps. 63

In Ps 14.

Augusti-
nus lib. 3
contra e-
pistolam
Parm.

lib. 2. con-
tracit. Pe-
til.

cap. 5. e-
iusdem.
Contra
Adrimar.
cap. 12. 14

Contra
Faust.
lib. 17.
Lib. 32.

fluctionem meam, pavor & fovea adest mihi, va-
statio & contritio non abeunt a me. Riuis aqua-
rum perfluit oculus meus propter contritionem
populi tui. Defluere non desistit oculus meus, eo,
quod non sint intermissiones. Prospice, & vide
Iehoua e caelis. Venantur me tanquam auiculā,
inimici mei. Exundantibus aquis supra caput
meum dico: succisa sum. Age, pater, causam
animae meae, & vindica vitam meam. Vides
peruersitatem, quae exercetur in me, Indica. Tibi
ego deuota sum. Atqui sunt, qui non odio iniqui-
tatum alienarum, sed studio contentionum sua-
rum infirmas plebes iactantia sui nominis irreti-
tas, vel totas trahere, vel certe diuidere affe-
ctant, superbia tumidi, pernicacia vesani, calu-
mniis insidiosi, seditiōibus turbulenti, ne luce
veritatis carere ostendantur, umbram rigida
veritatis obtendunt. Eosne teneam interfectores
Prophetarum, quos contradictores inuenio lin-
guis Prophetarum? Animositate victi, non
volunt vinci veritate. Sed quam diu scripturam
lacerare conantur, nullo modo eam permittun-
tur intelligere. Particulas quasdam de scriptu-
ris eligunt, quibus decipiant imperitos, non con-
nectentes, quae supra & infra scripta sunt, ex qui-
bus voluntas & intentio scriptoris possit intelligi.
In euangelio, quod volunt, credunt, quod nolunt,
non credunt. Ideoque sibi potius, quam Euan-
gelio credant. Hoc agunt, ut omnis de medio

scri-

scripturarum auferatur auctoritas, & suus cuique animus auctor sit, quid in quaque scriptura probet, quid improbet, id est, ut non auctoritati scripturarum subiiciatur ad fidem, sed sibi scripturas ipse subiiciat: non ut ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur: sed ideo recte scriptum videatur, quia hoc illi placuit. Magna haec ac impia est peruersitas, quae tua Deus Ecclesiae detrahit multum. Hinc enim doctos literis, & indoctos errore suo prosequuntur, & cum promittunt veritatem a veritate conantur auertere. Animofitas eorum semper inquieta est: Sicut spiritus sanctus requiem praestat mitibus & humilibus corde: ita contrarius & aduersus immites & superbos inquietudine exagitat. Quantum insuper in ipsis est, destruxerunt laudem, quam ex ore infantium & lactantium perfecit Deus, dum questionibus vanis & scrupulosis exagitant paruulos, & eos nutriri lacte fidei non sinunt. Interea tamen sibi mirifice blandiuntur, quod nullus melius credat illis, & quod nullus vincat populum ipsorum. O Deus, respice & despice. Predicant Christum, qualem sibi fingunt, non qualem veritas dicit: nomen habent, rem non habent. Et quarendo gloriam Christi, sparserunt potius, quam congregauerunt. Audacias figmentorum suorum, quas maxime exhorret sensus humanus, occasione alicuius Evangelicae sen-

Lib. I. de
Gen. c. I.
Epist. II. 9.
ad Ianu-
ar.

in Ps. 10.
in Apoca-
lyps.

Tract. 45.
in Ioan.

100. tract.
in Ioan.

Prefat. in
1^o. Hypo
g^o st.

De vera.

tentia colorare satagunt. Iesu Christi non est vera apud eos gloria, apud quos tamen frequentem famam videtur habere cum laude. Nam & bonum putant esse, quod bonum non est. Et Christum putant esse, quod Christus non est. Tu vero Domine Deus, coelestis pater, de malo potes facere bonum. Dum contra regulam veritatis, isti hostes mei, diabolicis armis pugnare nituntur, nos sollicitudine respondendi faciunt cautiores: se vero decipiunt, antequam tuorum, Domine aliquē valeāt vulnerare. Cum n. cæci evacuare thesauros fidei cōcertant: Spe fidei vacuati, faciunt plenitudinē fidei Ecclesie, opitulante Dei gratia, opitulari, & dū in hypocrisi vigilant nocituri, nos quodammodo excitant dormientes, ut arrepto clypeo veritatis, falsitati eorum corde resistente vigilemus: euangelica tuba nostris auribus insonante: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Confidunt ergo hostes mei, catholicam fidem impugnantes, in virtute sua, id est, in audacia cordis sui, gratia desolati, & in abundantia diuitiarum suarum, in operibus voluntatis suae gloriantes. Plurimum itaque (per accidens) profunt, (me interim pressa & afflicta) non verum docendo, quod nesciunt, sed ad verum querendum carnales, & ad verum aperiendum spirituales catholicos. Fac igitur, Deus, ut utar eis, non ut eorum approbem errores & furores, sed ut Orthodoxam doctrinam adver-

sus

sus eorum insidias afferens, vigilantior & cautior sim, etiamsi eos ad salutem reuocare non possim. Hoc est, o Deus, Ecclesie tue proprium, ut tam vincat, cum leditur, tum intelligat, cum arguitur, tum obtineat, cum deseritur. Sed tu tamen ne deseras me.

Hilar. 7.
de Trin.

Redde potius spiritum heroicum, spiritum iudicii & prudentie magistratibus nutritiis meis, redde doctoribus rectum Zelum, syncerum veritatis studium, agnitionem sui, amorem proximi, & in primis ut intelligant, non cum homine mortali, sed cum Deo sibi negotium esse. Redde mihi Ecclesie tue, in omnibus membris meis, veram & incorruptam fidem, sanctam disciplinam & equa iudicia, ne meos securos, ne toties monitos opprimat scintillans iam passim ira tua. Fac potius, ut me meosque, quos tot annis tolerasti, videas serio resipiscere, cum vera humilitate & obsequio tibi subiicere. Ad crucem si quam impones ferendam, & ultimum filii tui, Domini mei IESU CHRISTI, qui preforibus est, aduentum expectandum, toti nos comparemus. Interim, Pater, defende pusillum gregem, libera membra mea militancia in terris, & diuturnis cladibus iam pene confecta. Renoua faciem meam, sicut temporib. priscis, donec detur mihi amceno & beato faciei tue intuitu in regno gloriae tue frui, Amen.

FINIS.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

PV

ON

IES

E

PE

O

Orme

V. fis p

Pulcer

I

